Index Titulorum, & Argumentorum.

Servis. ibid.
Morionibus.
Dormientibus.
Modi, videlicet
Animum occupando
Litteris. 1079
Lectione.
Scriptione.
Cantu.
Muſica.
Poeſi, dramatis.
Hiſtoriis.
Mechanicis exercitiis.
Animum relaxando
Vino. 1080
Amoribus.
Medicamentis.
Corpus occupando
Conviviis. ibid.
Natatu
Deambulatione.
Equitatione.
Saltatione.
Pugna. 1081
Suffocatione.
Mixto ludi genere.
Finis. Puta ludere cauſa
Religionis.
Liberalitatis exercendæ.
Exercitii militaris.
Dignitatis.
Inſultationis.
Loci, ut ludere in ſacris, caſtris
Temporis. Ludere in
Expeditionibus.
Hoſtium irruptione.
Calamitate.
Eventus. Sic ex ludo provenit
Opulentia.
Bellum.
Cædes.
De ludis apophtegmata. *ibid.*
LUMEN, LUX quid, & unde dicta? Quando cœperit. Quis ejus tum uſus fuerit. 1082
Circa ejus ſubſtantiam errores. *ibid.*
Lucis encomia, *ibid.* Honor. 1083. Inſtrumenta naturalia quibus diffunditur. Puta in
Gemmis.
Animalibus. *ibid.*
Rebus aliis.
De lumine artificiali, ejuſque inſtrumentis. *ibid.*

LUNA quando creata, & cur? *ib.* Ejus quantitas, lumen. *ib.* Eclipſis, qualitates, vires, effectus. 1084. Prognoſtica. *ibid.*
LUPANARIA. Vide *Libido*.
LUPORUM natura, vafrities, loca captura, decreta, *ib.* Proprietates, & ſymbola. 1085
De lycanthropis ſententiæ veterum, & vera. 1084
LUSTRATIO, ſive purgatio quid, & unde dicta? 1085. Ejus præcepta in lege veteri apud Judæos, & Gentiles. *ib.* Cujus rei typus.
LUTHERANI qui & unde ſic dicti? *ib.*
LUXURIA quid; ejuſque etymologia, & acceptio varia, turpitudo, & incommoda, filiæ internæ, & externæ. 1086 Gradus novem, ſpecies, & mala per exempla Biblica, 1087. Hiſtorica. *ibid.*
LUXUS quid, ejuſque vocis uſurpatio, & incommoda. *ibid.*
Luxus circa voluptates corporis non propriè dictas. Huc
Luxuriæ magiſtri, & diſcipuli. 1088
Luxus conſideratus
Reſpectu Objecti per ſe
In genere *ibid.*
In ſpecie. Sic verſatur circa
Alimenta.
Veſtimenta.
Stragulas, lectos.
Balnea, unguenta. 1089
Coronas.
Habitationes.
Inſtrumenta quælibet.
Reſpectu Objecti ad corpus cui offertur
Activè
Quoad
Senſum
Viſus
Gratis delectari.
Ingratis triſtari.
Auditus
Jucundis oblectari.
Injucundis affligi.
Olfactus
Odores gratos ſupra modum ſectari, ingratos fugere. 1090
Tactus
Secundum qualitates primas.
Motum, mollities quoad
Inceſſum, deambulationem. *ibid.*
Equitatum.
Vectionem.
Gymnaſiorum uſum.
Quietem
Domi manendo.
Sedendo.
Membra non movendo.
Paſſivè
Quoad
Somnum, vigiliam. *ibid.*
Cultum corporis.
In genere.
In ſpecie ea quæ addunt ornatum
Faciei, oculis.
Capillis. 1091
Digitis.
Staturæ. 1092
Habitui.
Pilis.
Capillis.
De luxu moderando apophthegmata
Ethnicorum. *ibid.*
Chriſtianorum.
Luxus hieroglyphicum. 1094
LUX. Vide *Lumen*.
LUZITANI ſive Luſitani, qui & unde dicti? Quando, & quomodo ad fidem Chriſti converſi?
Luſitaniæ reges. Vide *Magiſtratus*.
LYCANTHROPI. Vide *Lupi*.
LYDORUM REGES. Vide *Magiſtratus*.

F I N I S.

THEA-

THEATRI VITÆ HUMANÆ,

AUCTORE

LAURENTIO BEYERLINCK,

ARCHIPRESBYTERO ANTVERPIENSI,

TOMUS QUARTUS

Continens Litteras H. I. K. L.

* *Aſteriſci Titulis, ſive Generalibus, ſive Secundariis, Rebuſve ſub iiſdem contentis præfixi, poſterioris Auctarii ſunt indices.*

A

* Habitus.

DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA, DIVISIO.

HABITUS eſt quædam animi qualitas, acquiſita ex frequentibus actibus, vel ex uno multùm vehementi, quo anima faciliter diſponitur ad aliquid faciendum. Differt autem à diſpoſitione, quod magis inhæreat ſubjecto, ſitque difficulter mo-
B bilis. *Ita Ariſtoteles.*

Definitur autem communiter à Logicis, Qualitas primæ ſpeciei permanens ſeu perfecta, & difficulter mobilis. Cùm è contra, diſpoſitiones ſint tranſitoriæ.

Cicero autem definit habitum, Animi aut corporis conſtantem, & abſolutam aliquam perfectionem, ut virtutis, aut alicujus artis. Quoad diſcrimen inter habitum & diſpoſitionem, vult Ariſtoteles illud eſſe eſſentiale: Alii tamen ſolùm accidentale.

C Sunt habitus alii corporis, alii animi: item acquiſiti, & infuſi, puta habitus ſupernaturales virtutum fidei, ſpei, & charitatis. Item alii dicuntur habitus ſecundùm rem, qui ex propria ſua ſpecie & natura, cauſiſque propriis ſpectatis, difficulter dimoventur. Alii verò ſecundùm modum, qui ex propria ſpecie facilè amittuntur, non tamen ex accidenti, ut ſunt diſpoſitiones jam verſæ in naturam.

☞ *Vide Locum de aſſuetudine.*

D

HABITUS. HABERE.

HABENDI MODI.

Habendi modos Logici his verſibus comprehendunt:

Affectum, Quantum, Veſtitum, dic velut aurum:
Membrum, Contentum, Poſſeſſio, Vir mulierem.

Eſt autem habitus in hac acceptione, relatio indumenti ad corpus, prout ſcilicet eſt unum è decem prædicamentis, & propriè ad illud pertinent duo modi habendi verſu ſupraſcripto indicati, nempè tertius & quartus: ſcilicet quo pars corporis E
eſt in corpore, aut in manu annulus aureus. Vide de his *Dialecticam Auguſtini Hunnæi, in Poſtprædicamentis.*

HABITUS *ut eſt idem quod indumentum,*
☞ *Quære* VESTIS.

* Hæreditas. Hæres.

DEFINITIO. ETYMOLOGIA. DISTINCTIO.

HÆreditas, Græcè κληρονομία, & κληρονομέω, hæredito F
dicitur: Et eſt ſucceſſio in univerſum jus, quod defunctus habuit, *ut lib.1. Nihil de verb. ſignif.*

Hæres Græcè κληρονόμος, ου, ὁ, dicitur. Et eſt ille, qui principalia alicujus bona percipit, non autem qui munuſcula ejus capit, *ſecundùm B. Thom. ſuper epiſt. Pauli ad Rom. 8. lib. 3. colum. 4.* Sunt qui ſcribendum cenſent ſimplici E.

Dicuntur autem hæreditas & hæredes ab hærendo, hoc eſt, arctè inſidendo. Nam qui hæres eſt, hæret, hoc eſt, proximus eſt ei, cujus eſt hæres; licèt nonnulli hæredem dictum G
velint, quòd herus fiat, hoc eſt, dominus bonorum, quæ ad eum perveniunt; quia apud veteres, herus idem erat quod dominus, auctore *Feſto*. Sic *Horatius lib. 2. ſerm. Sat. 3.*

—— ut hæres
Jam circum loculos, vel claves, lætus ovanſque
Curreret.

Et de Tantalo *Ovidius in Metamorph.* ſcribit:

—— Antiqui nominis hæres.

Apud J. C. dicitur ſecundus hæres, qui inſtituto hæredi ſub- H
ſtituitur, ut ait *Boethius in Top. Ciceronis;* ea lege, ut ſi prior non adeat hæreditatem, devolvatur ad ſecundum. Fortaſſis meminit hujus acceptionis *Perſius Sat. 3.* ita ſcribens in perſona hominis avari:

—— Pupillumve utinam quem proximus hæres
Impello, expungam! namque eſt ſcabioſus, &c.

Cicero pro Cluentio, & l. 1. de Invent. eodem verbo utitur. A verbo Hæres fit Hæredium, nempè prædium hæreditate obveniens, χωρίον πατρικὸν, & hæreditarius, κληρονομικός, hoc eſt, ad hæreditatem pertinens; hæreditarius morbus, qui pa-

A rentum vitio nobis obtingit: hinc hæredipeta, qui blanditiis muneribus & aliis artibus ſubornat morituros, ut ab eis hæres inſtituatur.

Eſt in Jure quædam hæredis appellatio, qua vocatur Hæres ſuus, quem οἰκεῖον Græci dicunt, id eſt, domeſticum: eſtque filius & filia reſpectu patris: nepos & neptis reſpectu avi morientis, in cujus ſunt poteſtate: ſi tamen pater illorum per mortem, vel aliter, non ampliùs eidem avo ſuberat, ut habetur §. *ſui autem Inſtit. de hæred. qual. & diff.* Dicuntur ergo illi hæredes ſui, quia proprii & domeſtici, vel quia ſibi ipſis quodammodo ſuccedunt: nam etiam vivo patre quodammodo domini exiſtimantur bonorum, ut habetur *loco citato Inſtit.*

Sunt inſuper hæredes in duplici differentia: quidam ſunt ab Inteſtato, qui velut proximi & domeſtici decedentis, jure ſuo adeunt hæreditatem. Alii ſunt Teſtamento inſtituti, & hi rurſus vel Teſtamento ſolemni, vel minùs ſolemni inſtituuntur. Volunt autem DD. hæredem ab inteſtato debere in conſcientia cedere hæreditatem hæredi inſtituto per teſtamentum minùs ſolemne: ſic tamen ut Trebellianam, id eſt, quartam partem ſibi poſſit retinere. *Ita Leſſius lib.2.c.19. dub.3. num.* B *21. & de Juſt. & Jure.*

☞ *Conſule pro hoc Titulo Locum de Divitiis. Tit. Hæreditate acquiſita bona. Item ex Loco de Teſtamentis, exempla petantur eorum, qui juſtè vel injuſtè hæreditate exciderunt. Pleraque etiam ex loco Liberalitatis huc poterunt referri.*

Hæredes Scribere.

☞ *Pete ex loco de Divitiis. Tit. Vſus Divitiarum. §. Hæreditate relinquenda. Scribere hæredes.*

Hæreditas Opulenta.

☞ *Ibidem.*

Nulla.

☞ *In Loco de Paupertate.*

Hæreditatem Non Adire.

☞ *Pete ex loco de Liberalitate. Tit. Liberalitas, quatenus non capit, petit, exigit, &c. §. Hæreditas, aliis cedere hæreditatem.*

Conservare.

☞ *Quære in eodem Loco. Tit. Conſervare opes liberaliter, §. Hæreditatem.*

C ☞ *Quærantur etiam nonnulla in Tit. de Gratitudine, & Ingratitudine. Nempè ob hæreditatem grati, vel ingrati.*

HÆREDITAS TACITE, FRAUDULENTER ADITA, IMPETRATA, Accepta, et ex ea odia, ac Seditiones.

EXEMPLA BIBLICA.

Jacob aſtu accepit benedictionem ab Iſaac, & jus primogenituræ, competens ratione nativitatis Eſau, & ob id odia acerbiſſima inter eos ſunt exorta.

Adonias eripere conabatur, imò jam acceperat, regnum quod Salomoni ex hæreditate debebatur; ideoque interfectus fuit.

Filii Oedipi de regno & ſucceſſione hæreditatis dimicarunt: cum grandior natu frater Eteocles decepiſſet minorem natu Polynicen. *Vide Tragœd. Phœniſſas apud Euripidem.*

D Historica.

Crœſus fratrem Pantaleonem, cum regnum à patre ſibi traditum eripere conaretur, in fullonis officinam pertractum interemit. *Herodotus lib.1.*

Creſphontes in diviſione regni Meſſeniorum deceperat pupillos hæredes filios Ariſtodemi, & in ſe tranſtulerat. Propter hanc fraudem, qua deceperat orphanos, interfectus eſt à civibus, & uxor Merope interfecit furens liberos. Sic convenerat inter cognatos, ut globuli ex luto formati in aquam immergerentur, & illi cederent de poſſeſſione regni, quorum globuli eſſent reſoluti in aqua. Creſphontes plenus doli & fraudis ſubornat quendam Temenum: qui alios globulos igne torrefecit, alios ad ſolem ſiccavit: quorum hi citò diffluxerunt, alteri verò integri extracti ſunt. Itaque Creſphontes forte fraude lata prærogativam conſecutus eſt præ nepotibus, & Meſſeniacam eis intercepit. Hæc in ſortitione uſurpata fraus peperit perpetuam æmulationem & odia, diffidentiam inter poſteros natos ex Creſphonte, & Ariſtodemi poſteros, Euryſthenis, Proclis, id eſt, inter Reges Spartanos & Meſſeniacos. Illud cum impatienter ferrent & cogitarent de ultione, paulò poſt bella inter eos exarſerunt, quæ Meſſeniacos tandem oppreſſerunt, & extinxerunt. E

Apud Heſtieam popularis ſtatus diviſus, ex contentione diviſionis hæreditatis duorum fratrum: cum enim unus alteri non communicaret partem integram, is populum ſibi pro parte conciliavit, alter ditiores. *Toloſanus lib.23. de Repub. c.5.*

Ita & Mytilenæ ſeditio ex hæreditate coorta, magnorum malorum fuit origo, atque exinde bellum Athenienſium contra Mytilenæos ſuſceptum, in quo urbs à Phacele duce capta fuit. *Toloſ. ſupra.*

Explicat hæreditatis quæſtionem *Ariſtoteles lib.5. Polit. c.4.* ex Timocharis divitis obitu, additque, apud Phocenſes etiam ortam ſeditionem ex hæreditate inter Mnaſeam Mnaſonis patrem, & Eutycratem Onomachi: quæ fuit initium quod Sacrum appellarunt.

Hæreſis. Hæreticus. Hæreſiarcha.

* DEFINITIO ET ETYMOLOGIA. F

HÆreſis quæ principalis eſt ſpecies infidelitatis, & graviſſimum peccatum, ut infra dicetur, non unam habet ſuæ appellationis cauſam, & vocis Etymologiam. Sunt qui ab Errore & Recto deducunt, quaſi hæreſis ſit Error à recto: Alii ab Erciſcor, quod divido ſignificat verbo veteri: omnis enim hæreſis nota eſt diviſio à fidei & Eccleſiæ unitate. Vide *Ioan. Andr. c. firmiſſimè, n.2. ext. de hæret.* Ab Hæſito dictam cenſet Repertorium juris: quod idē eſt quod divido. Quidam ab Hærendo, quia adjunctam habeat pertinaciam, qua errori ſuo adhæret. Vide *Ioan. Andr. ſuprà.* Item Ab Heremo nonnulli, quòd hæretici ſint in opinionibus ſuis ſolitarii, ſeparati à Catholica Eccleſia, & in angulo aliquo lateant. Quin vox Græca hæreſis aliquando ſonat eloquentiam, ſive facundiam verborum, qua frequenter hæretici confidunt, non in virtute Spiritus ſancti. Videatur *Archidiac. in c. hæreſ. n.1.* Cæterùm prioribus rejectis, communiter recepta eſt Etymologia, qua hæreſis dicitur à voce Græca αἱρέομαι, quod eligo ſignificat, ſive opto. Eſt namque hæreſis electio, ut eſt teſtis *Tertul. lib.5. de Præſcript.* qua quis ſive ad inſtituendos, ſive ad ſuſcipiendos G in fide errores utitur, & ideò hæreticum ſibi damnatum Apoſtolus dicit, quia & in quo damnatur, ſibi elegit. Legatur *S. Hieronym. in c. ad Galatas*, qui electionem intelligit, qua quiſque ſibi proponit, quid de fide Chriſtiana retineat, quidve abjiciat. Sive, ut dicit S. Thomas, quòd cum hæreſis videatur bene intendere circa fidem, tamen malè eligat, per quæ credat. Atque hinc eſt quòd idem Hieronymus ſcribit, Hæreſis Græcè ab electione dicitur, quòd ſcilicet unuſquiſque eam eligat diſciplinam, quam putat eſſe meliorem. Chriſtiana autem fides non per electionem, ſed divinam revelationem datur: cum ſit argumentum rerum non apparentium.

Hæreſis autem nomen olim nec turpe erat, nec odioſum, cum non aliud inferret, quàm ſectam ſive electionem: ſed hodie & odioſum eſt & infame, ut conſtat; ſic ut etiam Apoſtolus hæreticum hominem velit devitari, nec ave illi dici. Alioquin in bonam partem uſurpatur à Cicerone 1. *Paradox.* & apud Lucam, *Actor. 26. & imo 25.*

Præmiſſa Etymologia, variè etiam definitur Hæreſis. Aliqui eam definiunt Electionem novarum & falſarum opinionum de fidei myſteriis, contra communem & receptum ab H Eccleſia ſenſum.

Alii, quòd ſit aſſertio vel dogma Catholicæ veritati contrarium, in eo qui fidem Chriſtianam profeſſus eſt.

Item, quòd ſit error veritati Catholicæ adverſarius.

Communiter verò deſcribitur, quòd ſit error profitentis ſe Chriſtianum, & ita pertinacis, ut diſſentiat propoſitioni ſufficienter ſibi propoſitæ tanquam fide divina credendæ. Hanc tradit *Ioan. Mald. lib. de Virtutib. Theol. q. 11. art.2.*

Facilis eſt definitio, qua dicitur error intellectus circa res fidei, pertinaciter aſſertus ab eo, qui Chriſtianam fidem profitetur. Pertinacia enim hæreſim facit. Unde quidam ab ἐρείδω Græco eam deducunt, quod eſt innitor, ſive firmo.

Hinc patet, hæreticum eſſe, qui circa ea quæ fidei ſunt errat per intellectum, pertinaciter errori adhæret per voluntatem. Ita *Sylveſter, & S. Thomas.*

Sive qui errorem habet contra fidem cum pertinacia. Hæreſiarcha verò appellatur, qui erroris illius eſt auctor, ſive eumdem docet, & publicè defendit. Ita dictus ab Hæreſi & Archi, quod verbum ſonat principem ſive principium: ut ſit velut

A velut princeps & caput hæreticorum, ſive Patriarcha. Ita *Ludovicus à Paramo de Orig. S. Inquiſit. l.3. quæſt.9. num.134.* propriè vocari Hæreſiarcham, qui aut hæreſes invenit, aut inventas docuit, vel divulgavit.

* REQUISITA AD HÆRESIM, Et Hæreticum.

Arnald. Albertin. in rub. de hæret. in 6. q.13. n.5. ad hæreticum quinque requirit, quorum quædam etiam in hæreſi locum habent. Primò, ut ſit profeſſione Catholicus. 2. Ut non omnia neget quæ credenda proponuntur. Sic enim potiùs Apoſtata fuerit. 3. Ut errorem habeat in intellectu; eſt enim remotum genus hæreſis error, ſicut infidelitas propinquum: ponitur enim hæreſis in falſo dogmate circa fidem. Unde emergit quartum requiſitum, ut ille error habeatur in rebus fidei, & bonorum quæ ad æternam ſalutem exiguntur. 5. Ut adſit pertinacia, quæ non requirit longam temporis moram, uti nec actus fidei hæreſi oppoſitus; ſed ſufficit, ut reluctetur propoſitæ ſibi veritati, ſive infallibili auctoritati Dei. Unde etiam hæreticus cenſetur, qui diſſenſerit propoſitioni ſibi à Deo privatim revelatæ ſufficienter, ut advertit *Malderus ſuprà.*

B Alii cum *Roſella* duo tantùm requirunt ad hæreticum, errorem in fide, & pertinaciam: addit *Ludovicus à Paramo* utrique ſubjectum baptizatum.

Rurſus quidam tria requirunt: Falſam credulitatem in rationali: 2. Perverſam voluntatem in concupiſcibili: 3. Impugnationis pertinaciam in iraſcibili. Ita *Summa Angelica V. hæreticus in princip.*

* ILLIUS MALITIA ET Gravitas.

Inter ſpecies infidelitatis hæreſis reliquis eſt gravior: renititur enim contra fidem receptam; quò facit illud *Petri 2. Epiſt. c.2.* Melius erat eis viam juſtitiæ non cognoſcere, quàm poſt cognitionem retrorſum reverti. Servus enim ſciens voluntatem domini, vapulabit plagis multis, ut alibi Salvator edixit. Si tamen ſpectetur abjectio fidei infidelitate, Paganiſmus & Judaiſmus excedent gravitate hæreſim, cum plùs abjiciant ſive negent, quàm hæc. Cæterùm enormitatem hæreſis arguunt epitheta, quibus hæretici tam à Chriſto, quàm Apoſtolis & Patribus honorantur; quorum pleraque infra à nobis recenſentur. Quin *S. Hieronymus* negat eos appellandos Chriſtianos: uti & C *Tertul. de præſcript.* Et S. Auguſtinus ſcribit, nomine tenus dumtaxat Chriſtum apud eos reperiri. *In Enchiridio c.3.* Ac deteriores Idololatris facit *Irenæus.* Imò Judæis & Dæmonibus *Ambroſ. ſer.42. & lib.3. de fide.* Legatur *S. Ignatius Epiſt. ad Smyrnen. Cyprianus Epiſt.52. Hieron. in Ezechielem.*

De hæreticorum autem moribus, doctrina, crudelitate, item de fuga eorumdem perutili, ac nominatim de hæreſi hujus ætatis. *Vide progreſſum Loci præſentis.*

* ORIGO HÆRESIS VARIA.

Utputa.

Superbia, Et Ambitio.

Pater auctorque omnis hæreſis eſt, qui & mendacii pater, & mendax ab initio pronunciatur à Chriſto: ut notat *Ignatius Epiſt.5. ad Trallian. & Cyprianus de unit. Eccl. in initio.*

☞ *Vide de hoc argumento infra.*

Mater hæreſum eſt ſuperbia, & ambitio. Omnes hæretici ait *Tertull. de Præſcript.* tument, omnes ſcientiam pollicen- D tur. Et *Auguſt. lib. de Paſtorib. c.8.* Diverſis locis ſunt diverſæ, ſed una mater ſuperbia omnes hæreſes genuit. Fons omnium hæreſum à Patribus deſcribitur, Scripturæ non bene intellectæ audax & temeraria aſſertio. Ita *Aug. Tract.18. in Ioan. Irenæus lib.1. c.1.* & alii paſſim. Atque experientia docet, hæreticos cujuſcunque ætatis, ſua dogmata perverſitatis, quibus animam illaqueant, ex ſcripturis malè contextis & intellectis fabricare. Unde *B. Ambroſius in comment. ad Titum 3.* vocat hæreticos, qui per verba legis legem impugnant, ut perverſitatem mentis ſuæ legis authoritate commendent. Et *S. Aug.* diſertè ſcribit, *lib.7. de Geneſ. ad litt. cap.9.* Non ob aliud eſſe hæreticos, niſi quia ſcripturas non rectè intelligentes, ſuas falſas opiniones contra earum veritatem pertinaciter aſſerunt. Idem breviùs *Hilarius lib.2. de Trinit.* De intelligentia eſt Hæreſis, non de Scriptura: ſenſus, non ſermo fit crimen.

☞ *Videatur locus de Iactantia.*

Exempla Historica.

Ambitio primum Hæreſiarcham hæreticum fecit, videlicet Simonem Magum. Voluit enim Spiritum S. emere pecunia, ut eum poſſet, quibus vellet, elargiri. Unde tam acriter reprehenſus à B. Petro, *Act. c.8.* E

Tertullianus etiam Montaniſta effectus eſt, quòd, ut notat Baronius, Pamelius, & alii, mortuo Agrippino Epiſcopo, ambiens Epiſcopatum Carthaginenſem, eo exciderit. *Cornelius à Lapide comm. in c.1. Epiſt. ad Timoth.*

Ærius etiam Epiſcopatu quem avidè ſectabatur fruſtratus, aſſerere cœpit ſacerdotes pares Epiſcopis. Refert *S. Auguſt. lib. de Hæreſib.*

Novatus quoque per fraudem in Epiſcopatum ſe intruſit, ad quem conſequendum ambitiosè ſe diu geſſerat, effrænatamque cupiditatem occultarat. Auctor eſt *Euſeb. lib.6. hiſtor. Eccleſ. c.35.*

Sic etiam noſtro ſæculo, Lutherus, Calvinus, Ochinus Dudecius & alii, primas cathedras vel purpuram ambientes, repulſam paſſi, apoſtatarunt, ut primatum apud Novatores acciperent.

PRAVUS SCRIPTURÆ INTELLECTUS. EXEMPLA Ejusdem Scripturæ.

F Chriſtus *Matth. cap.22.* Sadducæos reſurrectionem corporum negantes redarguens, ait: Erratis, neſcientes Scripturas, neque virtutem Dei: neque illi textum Scripturæ ignorabant, ſed non intelligebant virtutem Dei, id eſt, ſenſum & conſilium Dei illi incluſum, quæ cauſa erat erroris ipſorum.

Diabolus quem Patrem meritò hæreſum appellant veteres, Chriſtum propoſitis Scripturæ teſtimoniis tentavit, & ad ſemetipſum præcipitandum provocavit. Nunquid ideò, inquirit *S. Chryſ.* os illius ſanctificatum fuit? nequaquam; manſit quod erat. Non eſt ergo quòd Catholici novis doctrinis aurem facilem præbeant, quòd Scripturis eas confirment Novatores hæretici. Imitantur enim ſuum patrem. *Matth. c.4.*

Judæi ex Scripturis conati fuerunt oſtendere Chriſtum non eſſe Meſſiam. Dicebant enim, Nunquid à Galilæa venit Chriſtus? nonnè Scriptura dicit, quia de Galilæa & Bethlehem venit? Imò non ſolùm eum non eſſe Meſſiam contenderunt, ſed inſuper morte dignum ſecundùm legem eorum, quia filium Dei ſe fecerat. *Ioan. c.7. & 19.* Sed & in hodiernum diem, antiquum Teſtamentum legunt & venerantur, neque tamen Chriſtum in eo vident, aut quærunt.

Quin Chriſtus prædixit, ut attenderemus à falſis Prophetis, G qui veniunt ad nos in veſtimentis ovium, intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces. Quod de iſta fraude hæreticorum intellexit, quia ſub verbis Apoſtolorum & prophetarum, gerunt veſtes ovium, intùs autem in ſenſu verborum, ſunt lupi rapaces, & animarum prædones. Ita Vincentius *Lyrinenſis lib. cont. apoph. hæreſ. Novitat.* ſcribit de hoc loco: Quid eſt, inquit, veſtitus ovium, niſi Prophetarum & Apoſtolorum proloquia? qui ſunt lupi rapaces, niſi ſenſus hæreticorum feri & rabidi? Sed ut fallaciùs incautis ovibus obrepant, manente luporum feritate, deponunt lupinam ſpeciem, & ſeſe divinæ legis ſententiis, velut quibuſdam velleribus obvolvunt. *Matth.7.*

Exempla Historica.

Longum eſſet ire per omnes ætates, & quem Scripturæ locum veteres hæretici paſſim in teſtimonium ſui erroris produxerint, recenſere. Facilè id colliget ſtudioſus lector ex iis libris, qui errores ſingulorum tradiderunt, & quomodo ab Eccleſia refutati fuerint, ac pro hæreticis habiti. Quædam tamen H require. ☞ *in Loco de Scriptura S.* in hoc opere.

De his autem quos ſuperiori ſæculo adverſarios Eccleſiæ Chriſti Diabolus ſuſcitavit, quorum etiam rabies univerſum Eccleſiæ corpus occupavit, omneſque ſanæ doctrinæ partes corrupit, nimis evidens eſt, quo pacto omnes, quantumcunque à ſe invicem in eadem etiam ſecta diſſecti exiſtant, errori ſuo præſidium à Scriptura quærant, hanc omnes, tractent, lancinent, & inſtar cerei naſi, nunc in hanc, nunc in illam partem ducant; de eodem Scripturæ teſtimonio contrarios ſenſus effingant, ſic ut circa quinque illa verba quæ Chriſtus inſtitutioni S. Euchariſtiæ adhibere voluit, ducentæ expoſitiones, & depravationes deprehendantur. De qua re prodiit nuper anno M. D. LXXVII. libellus, citatus à *Cardinale Bellarm. Controverſ. de Euchariſt. c.8.*

Martinus Lutherus qui primùm elapſo proximè ſæculo prætenſæ in Religione reformationis vexillum ſuſtulit, & Eccleſiæ unitatem turbare cœpit, ut infra latiùs dicetur, ac Proteſtantium omnium princeps & caput reputatur, poſtquam in colloquio Vormatienſi celebrato ann. XXI. ſupra ſeſquimilleſimum, à Catholicis variè confuſus fuiſſet & convictus, dice-

A dicebat, ſe per ſcripturas, quas in libris ſuis allegaverat, convictum eſſe, & capta conſcientia in verbis Dei illos revocare non poſſe. Imò aſſerebat, ſe propterea damnare Concilium Conſtantienſe, quia verbum Dei in illius decretis damnatum dicebat, (illa, inquam, Huſſitarum aſſertio, qua dicebant, Eccleſiam è ſolis prædeſtinatis conſtare.) Denique nullum modum componendarum in religione diſſenſionum ſupereſſe, præter verbi Dei libertatem, & ut non alligetur. *Coclæus in vita Luther.*

Joannes etiam *Calvinus lib.4. Inſtit. c.17. §.25.* reprehendit quidem Lutheranos, dum dicit eos verbum Dei habere, ſed quale Marcion & Manichæi; citando ſcilicet teſtimonia: tamen fidei indubitatam regulam conſtituit verbum Dei ſcriptum, privato cujuſque ſpiritu intellectum, & interpretatum, ejuſque de hac re judicium aſſeclæ omnes ſequuntur, Scripturam omnes inclamant, inculcant, explicant, ex hac lites & diſſenſiones ſuſcitant, componunt, invicem condamnant, & lancinant: eoque prætextu infinita animarum millia trucidant, milleque ſectas fabricant.

Mahometani quoque utrumque teſtamentum venerantur, B ſed interpretationem amplectuntur, quam illis tradidit in Alcorano Mahometes. Refert *Marſil. Ficin. in lib. de relig. Chriſt. c.36.*

Sic ut verè obtineat in iſtis illud *Aug. tract.18. in Ioan.* Non aliunde natæ ſunt hæreſes, & quædam dogmata perverſitatis illaqueantia animas, quàm dum Scripturæ bonæ intelliguntur non benè, & quod in eis non benè intelligitur, etiam temerè & audacter aſſeritur. Siquidem, ut paulò ante notavimus, in Scripturis prædictum, hæreticos per Scripturas decepturos.

DE LIBIDINE, ALIO FONTE HÆRESIS.

☞ *Vide infrà Tit. Pœna Hæreſis.*

☞ *Requirat Lector locum de S. Scriptura, ubi multa quoad Titulum præcedent.*

* HÆRETICORUM ET HÆRESIARCHARUM ORTUS.

Plerumque ab infami ſervili, & ignobili ſtirpe.

Impiiſſimus Manichæus, primùm dictus Curbicus, viduæ ſervi emptitius fuit, à qua mox adoptatus, Manes voluit appellari: quod homiliam ſignificat lingua Perſica, vas verò Babylonica, inſanum Græca. *Cyrill. Hieroſ. Catech.6.*

C Mahometes Pſeudopropheta, Camelorum actor, & ſervitio potentis viduæ mancipatus, quam per ſummam vafritiem conjugem mox habuit. *Cedrenus.*

Qui Leonem Iſauricum adversùs imagines primùm excitavit, ſervilis etiam conditionis perhibetur extitiſſe. *Ioan. Damaſ.*

Simon Magus hæreticorum Princeps, Opilone natus Tritonæ. Doſithæus Judæus erat genere, & profeſſione; nam Samaritanorum caput à Hieron. vocatur. Marcion patrem habuit Epiſcopum, ſed ob ſtuprum commiſſum ab eo pulſus in exilium fuit. Illum os Diaboli appellavit Irenæus.

Novatus procurato uxoris abortu infamis. Manes magum parentem habuit, ipſe etiam magiam excoluit. Apollinaris presbytero ſibi cognomine ortus eſt, Helvidius ruſtici filius, mores paternos extulit. Petrus Valdenſis pauperes ac nullius ſortis parentes habuit.

Martinus Lutherus viliſſimo opifice Islebii natus, cognomen *Ledder* tulit, quod ſordidum ſive porcinum ſignificat, egregiè nomen ſuum moribus & vita expreſſit.

Martinus Bucerus viliſſimis quoque genitoribus procreatus D ex inceſtuoſo concubitu perhibetur. Etiam David Georgius patre & arte mechanicus fuit.

Joannes Calvinus patrem tali filio dignum, Gerardum Calvinum, hominem ſceleratum, & in Deum blaſphemum ſortitus, hoc cavit, ne majoribus virtute præluceret. *Vacquelius lib. de tentat.*

* HÆRESES CUI SUCCEDANT. ILLIUS ET SECTATORUM EPITHETA.

Notarunt SS. PP. jam olim inſigni Dæmonis fraude effectum, ut Idolis mundo pulſis Hæreſes ſuccederent, ac velut nova Idola irreperent. De quo legatur *S. Aug. l.18. c.51. de Civit. Cyprian. lib. de unit. Eccl.* Eſt certè hæreſis proprii cerebri figmentum, ideòque talem quiſque Deum habet, qualem ſibi fingit, non qualem Eccleſia revelat. Quin & propterea Idolum eſt omnis hæreſis, quia ſe pro Deo venditat omnis hæreticus, ſibi credi poſtulat etiam repugnante univerſa Eccleſia. Ita *Lutherus* ſcripſit, Scio me mea dogmata habere de cœlo, &c. *in lib. cont. Reg. Anglic.* Ita *Calvinus*, teſte Bolzeco, ſe prophetam Dei profeſſus eſt. Quo circa non ſine ratione *D. Hieronymus* hominem hæreticum eodem planè loco, quo gentilem ſe habere aſſeruit, *in principio Decalogi contra Luciferianos.* E

2. Hæreſis eſt omnium malorum compendium, quia cum ſint duæ virtutes Deo gratiſſimæ, Fides & Charitas, illam penitùs tollit, hanc malevolentia, ſuperbia, & animorum motumque diſſidio extinguit, vel enervat. Hinc ſancti Patres hæreſim Atheiſmum & hæreticos Atheos vocare ſoliti, quaſi abſque Deo. Sic Eunomium ἄθεον *Hieron. in Epiſt. ad Pammach.* ſic Arium *Athanaſius ſer.2. cont. Arianos*: ſic Ætium *hiſt. Eccl. trip. lib.5. c.39.* indigitarunt. Quin *B. Auguſt.* graviſſimè ſentit, non habere Dei charitatem, qui Eccleſiæ non diligit unitatem, *Lib.3. c.16. de baptiſ. cont. Donatiſt.*

3. Numeratur hæreſis inter ea crimina, quæ hominem excludunt è regno cœlorum, teſte Apoſtolo ad *Galatas c.5.* Unde *S. Petrus* vocat hæreſes ſectas perditionis, *1. Epiſt. c.2.4.* Vocantur Hæretici à Chriſto, falſi Prophetæ, fures, latrones, pſeudochriſti. A *B. Paulo*, pſeudoapoſtoli, operarii ſubdoli, homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, blaſphemi, voluptatum amatores magis quàm Dei, proprio judicio condemnati. Eoſdem deſcribit *S. Petrus*, magiſtros mendaces, ſervos corruptionis, indoctos & inſtabiles. *Ioannes*, ſeductores, & Antichriſtos. *S. Iudas*, nubes ſine aqua, arbores autumnales, infru- F ctuoſas, bis mortuas, fluctus feri maris, diſpumantes ſuas confuſiones, ſidera errantia, quibus procella tenebrarum ſervata eſt in æternum. *Matth.7. & 24. Ioan.10. Epiſt.2. Cor.11. 1. Timoth. 1. Tit.3. 1. Petri 2. 2. Ioan.1. Ioan.2.*

☞ *Epitheta Hæreticorum noſtri temporis vide infrà poſt ſæculum 17.*

Sed lubet jam dictis velut per compendium adjicere, quid de hæreſi & hæreticis alibi Scriptura ſancta tam veteris, quàm novi Teſtamenti: quid in ſuis ſcriptis Patres & Eccleſiæ Doctores paſſim ſenſerint, quibus nominibus & epithetis eos cohoneſtent, quas illorum imagines tradant, quos titulos conferant.

Siquidem eorum qui Eccleſiam Dei à Deo avertere variis commentis & dolis conantur, characteres extant in ſanctis libris. *Iſajas* deſcribit eorum avaritiam, artes, res geſtas, malitiam, mentis cæcitatem, *c.56. 3. & 59. 5. 6. 7. 8. Ieremias*, turpis lucri cupiditatem, *c.6.* 13. confuſionis diſſimulationem, 6. 14. deſperatam contumaciam, 6. 28. falſam doctrinam, 23. 16. 17. impios conatus, 23. 27. erroris efficaciam, 23. 32. *Ezechias*, audaciam, *c.13.* 3. 9. 10. crudelitatem, 23. 25. G *Hoſeas*, fraudulentas adulationes, *c.3. Michæas*, rapacitatem *c.2.* 2. ambitionem fallacem, 2. 11. ventris curam, 3. 5. avaritiam, 3. 11. ingenium 7. 4.

Jeſus Chriſtus Dominus noſter, ſub Phariſæorum & aliorum ſectariorum, qui hoc ſeculo Eccleſiæ hoſtes operti erant nomine, hæreticorum omnium qui ſequentibus ſeculis vixerunt, & vivent uſque ad mundi conſummationem, effigiem exhibet. Traducit autem eorum hypocriſin, *Matth.6.* 2. 5. Fictam manſuetudinem, *Matth.7.* 15. Superſtitionem impiam, *Matth.15.* 3. &c. Vanam religionem, *Matth.19.* Tyrannidem, *Matth.23.* 4. Impietatem deteſtandam, pietatis ſimulationem, periculoſas concurſationes, iniquitatem hypocriticam, *Matth.23.* 13. 14. 15. 27. Ementitum nomen ſpecioſum, ut faciliùs ſeducant, *Matth.24.* 5. Oſtentationem ridiculam, *Luc.11.* 43. Fraudem latentem, *Luc.1.* 44. Inſanabilem pervicaciam, *Ioan.6.* 41. Superbiam, *Ioan.12.* 43.

D. Paulus, vivam hæreſiarcharum faciem proponit, *Rom.* 16. 18. Avaritiam, & terreſtrium curam, *Philip.2.* 21. & 3. 18. 19. Audaciam, *Coloſſ.2.* 18. Ferox ingenium, *1. Theſſal.2.* 15. Studia & occupationes, *1. Tim.1.* 4. Vaniloquentiam, *1. Tim.* H 1. 5. Imprudentem ignorantiam, *1. Tim.1.* 7. Falſam doctrinam. *1. Tim.4.* 1. 2. 3. Inſaniam. *1. Tim.6.* 4. 5. Inanem gloriationem, *1. Timoth.* 6. 20. 21. Profanos clamores. *2. Tim.* 2. 16. Quæſtiones ineruditas, *2. Tim.2.* 23. Hypocriſin, *2. Tim.3.* 5. Mentem reprobam, *2. Tim.3.* 8. 9. Conditionem peſſimam. *2. Tim.3.* 13. Perverſitatem, *Tit.* 1. 10. 11. Conſcientiam cauterio reſectam, *Tit. c.3. verſ.10. 11.*

D. Petrus, Hæreſiarcharum apoſtaſiam depingit, *2. Ep. 2. c. verſ.1.* erroris efficaciam, *2. Pet.2.* 2. avaram negotiationem, *2. Pet.2.* 3. horrendum exitum, *ibidem*: vitam impuram, mentis cœcitatem, luxum, fraudes, turpitudinem, artes, avaritiam deploratam, impiam maledicentiam: vanitatem, ambitionem noxiam, falſam jactantiam, miſeram conditionem, *ib.* Scripturæ depravationem, *2. Pet.3.* 16.

D. Joannes: Eorum Antichriſtianiſmum deſcribit, *1. Ioan.* 4. 3. noxias concurſationes, furioſam audaciam, & metuendum imperium, *Apoca. 9. verſ.3. 17. 19.*

Ignatius, *in Epiſt. ad Trallianos, Magneſianos, Philadelphienſes, Smyrnẽſes & Epheſios*, hæreticorũ exprimit ingeniũ.

In-

A Inter cætera, *Epiſt.5.* hæc dicit, Sunt nonnulli vaniloqui & ſeductores, non Chriſtiani, ſed Chriſtempori: fraude circumferentes illius nomen, adulterantes verbum Euangelii, & erroris venenum allinentes dulcibus alloquiis, velut mulſum aconito miſcentes, ut ſuaviſſimo ſapore deceptus guſtandi ſenſus, incautè mortem hauriat. *Epiſt.6.* Speciem quidem pietatis habent, virtutem verò ipſius abnegant, ſub Chriſti nomine & prætextu mercatum exercentes, verbum Dei adulterantes, Jeſum vendentes, corruptores, alienique appetentes, & pecuniarum violentiſſimi ſectatores.

Polycarpus: Relinquamus, inquit, multorum (id eſt, hæreticorum) vanitates falſaſque doctrinas, & ad illud quod traditum eſt nobis à principio verbum, revertamur. *In epiſt. ad Philipp.*

Martialis: Venient, inquit, præſumptores, abſque gratia Dei loquentes, quorum gratia labiorum procedit ex ſuperbia. Hi docebunt doctrinam quæ aliena eſt à Deo, amica autem diabolo: per quam ipſe ſpiritus erroris animas poſt ſe trahere feſtinabit. *Epiſt. ad Burdegal.*

Irenæus: Quum tale, inquit, ſit principium doctrinæ ipſorum B quam neque Prophetæ prædicaverunt, neque Dominus docuit, neque Apoſtoli tradiderunt, de qua gloriantur ſe pluſquàm alii de rebus univerſis cognoviſſe, quum ex iis quæ ſcripta non ſunt pronuncient, ac ſtudeant, ut vulgò dici ſolet, ex harena teſtes connectere, conantur ad faciendam fidem iis quæ dicta ſunt, accommodare aut parabolas Domini, aut dicta prophetica, aut ſermones Apoſtolorum, ne ipſorum figmentum teſtimonio carere videatur. Qua in re tranſiliunt ordinem & ſeriem ſcripturarum, ac (quantum in ipſis eſt) diſſolvunt membra veritatis. Transferunt enim & transformant, & dum aliud ex alio faciunt, multos fallunt, ſapientia malè compacta ex dictis Domini, quæ errori ſuo aptant. *Lib.1. ad hæreſ. c.1.*

Clemens Alexandrinus: Seipſos, inquit, erigentes, calumnias verbis addere contendunt, contentioſas comparantes quæſtiones, diſtinctiuncularum venatores, puſillarum quarundam artium æmulatores, & jurgiorum conſarcinatores. Ob hanc efferentes ſe ſophiſtæ infelices, canoris quibuſdam ſuis nugis garrientes, cum in nominum delectu & certa dictionum compoſitione & connexione tota vita laborent, cicadis apparent loquaciores. *Stromatum lib.1. Vide multa* C *de hæreticorum notis eodem lib.6. apud eundem.*

Tertullianus multa dixit quæ hæreticos ad vivum exprimunt. Ex multis pauca hæc:

De quorundam infirmitatibus habent quod valent, nihil valentes, ſi benè valentem fidem incurrant. *De præſcript. c....*

Hæreticorum Patriarchæ Philoſophi. *Ad Hermog. c.8.*

Ex conſcientia infirmitatis nunquam ordinariè tractant. *De reſurrect. carnis, c.2.*

Arnobius: Ne ſuæ artes, inquit, intereant, ac ne ſtipes exiguas conſultoribus excutiant jam ratis, ſi quando rem venire in invidiam comperiunt, indignantur, declamitantque: in templis jam raritas ſumma eſt. Jacent antiquæ deriſui ceremoniæ, & ſacrorum quondam veterini ritus religionum novarum ſuperſtitionibus occiderunt: meritò humanum genus tot miſeriarum anguſtiis premitur, tot laborum excruciatur ærumnis, &c. *Lib.1. adv. gentes.*

Lactantius: Horum levitas inſtructa dicendi facultate & copia, incredibile eſt, quantas mendaciorum nebulas excitaverit. *Inſtit. divin. lib.1. c.15. Vide ejuſdem lib.15. c.9. lib. 6. c.6. & lib.7. c.7.*

D D. Athanaſius: Sequentium Apoſtolicorum virorum dicta de hæreticis, & eorum artibus deſcribere noluimus: loca tantùm deſignare viſum eſt, in ſtudioſi & pii lectoris gratiam.

Videat igitur qui volet *D. Athanaſ. orat. contra idola epiſt. ad Epictetum contra hæreticos, ad Adelphum contra Arianos. Orat.1. ad Epiſcopos Ægypti contra Arianos, & Orat. 2. Serm. item 3. & 4. contra eoſdem Arianos. Epiſt. adv. Arian. de ſententia Dionyſii Epiſcopi Alexand. & epiſt. de decretis ſynodi Nicænæ, & Serm. in illud, Profecti in pagum.*

Baſilius Magnus: Quod mirum eſt, inquit, Scripturæ quæ juvant eos qui per fidem valent, officiunt iſtis, qui circa quæſtiones ac inutiles contentiones ægrotant. Item: Quærunt, non ut fidem, ſed ut infidelitatem inveniant. *Lib.5. adv. Eunom.*

Curioſa, inquit, iſtorum hominum circa ſyllabas ac dictiones obſervatio, ſimplex alicui videri poſſit, neque tendens ad malum: ſed profundum atque obtectum habet adversùs pietatem conſilium. *De Spiritu S. ad Amphil. c.2. Vide quæ de hæreticis ſpargit c.3. 6. 7. 10. 11. ejuſdem libri: item epiſt. 73. 80. & 141.*

Gregorius Nazianzenus Hæreticos pinxit in *apologetico* E *de fuga ſeu orat.1.* his verbis, Ob imperitiam, &c. *Item*, Veritatis doctrinam adulterant, &c. *Et orat.2. de pace*, Res noſtras, tam benè quàm malè ſe habentes, &c. *Item*, Suorum quidem manſueti & placidi judices, &c. *Et orat.25. cont. Arianos, & de ſeipſo*, Paupertatem nobis exprobrant, Eccleſiam multitudine definiunt, &c. *Et Orat.33. q.1. de Theologia*, Sunt quidam quibus non aures duntaxat, &c. *Item*, Summo ſtudio res noſtras explorant, &c. *Item*, Araneorum telis infirmiores illaqueant.

D. Ambroſius: *Vide Serm.7. ejuſdem tomi. Item tom.4. ſerm.11. in 11. Pſal.*

Multi ſunt hæreticorum qui prætendere volunt corporis continentiam, ut aſſertionis ſuæ fidem teſtimonio ſobriæ carnis acquirant. *Lib. de Noe & Arca, c.14. Vide eundem tom.5. lib.7. comment. in c.10. Lucæ.*

D. Hieronymus: *Vide epiſt. ad Ruſticum* monachum, ubi impoſtorum etiamnum hodie Europam vaſtantium viva imago adumbratur, his verbis, Ego quoſdam, &c. *Et epiſt. ad Paulinum*, Nihil eſt grande, &c. *Item*, Quem ſenſeris, &c. *Et Epiſt. ad Euſtoch.* Poſtquam nobilium, &c. F

Tom.2. lib. contra Iovinian. Hi ſunt fontes, &c. *Item*, Ne glorieris, quòd multos diſcipulos habeas, &c. *Item*, Semper dulcia pollicentur, &c. *Et epiſt.55. ad Ripurium*, Nobis meliùs, &c. *Et. l.2. ad Ruffinum*, Quidam eorum, &c. *Et l.3.* Iſtæ ſunt machinæ eorum, ut convicti de perfidia ad maledicta ſe conferant. *Et lib.1. Dialog. adv. Pelagium*, Fruſtra ſervis Dei, &c. *Vide item epiſt.79. ad Alip. & Aug. & epiſt. 61. ad Pammachium*, & *lib.3. adv. Ruffin.*

Tom.3. epiſt. ad Paulinum, Si fortè ad ſcripturas ſanctas, & *Tom.4. in 1. 5. 10. 13. 16. 18. 19. 28. 52. 54. 57. c. Iſajæ, Et in 3. 10. 18. 23. 29. c. Ieremiæ, & lib.1. Commentar. in 2. c. Lament. Et in 7. 16. 24. & 38. c. Ezechielis. Item. in 5. 9. 10. c. Eccleſiaſtis.*

Tom.5. in 1. & 5. c. Amos, & in 2. 7. ac 12. c. Oſeæ, & in 5. ac 7. c. Micheæ. Item in Abdiam, & in 3. c. Abacuc.

Tom.6. in 16. & 24. cap. Matthæi. In 1. cap. epiſt. ad Titum.

Tom.7. in pſalm.5. in pſal.63. 107. 143. 149.

D. Auguſtinus, ex cujus ſcriptis & diſputationibus adversùs ſui ſæculi hæreticos, Donatiſtas, Manichæos, Pelagianos, G &c. ingens volumen facilè colliget ſtudioſus lector, de notis & verſutiis ſectariorum hujus ſeculi. Ad quos in præſentia illud *lib. ult. contra Iulianum, c.13.* dirigatur: Quando animoſitatem qua tenentur vicerint, tunc veritatem poterunt tenere qua vincuntur.

Aliorum Apoſtolicorum virorum ſeu veterum Theologorum adversùs hæreſim & hæreticos ſententias, quoniam cum ſuperioribus ferè conveniunt, ne prolixiore repetitione lectores vexarentur, prætermiſimus. Pauca quædam alia ex Eccl. hiſt. ſcriptoribus collecta addemus.

Euſebius: Qui traditiones humanas, inquit, Eccleſiæ Dei obtrudunt, ut Verbi ſcripti auctoritatem elevent: aut ſacras & divinas ſcripturas à Spiritu ſancto dictatas non credunt, & ita ſunt infideles: aut ſeipſos Spiritu S. ſapientiores eſſe dicunt: quod planè quid aliud eſt, quàm tanquam dæmone exagitatos inſanire? *Euſeb. lib.5. hiſt. Eccl. c.27.*

Conſtantinus Imperator: Inteſtina ſeditio, inquit, in Eccleſia Dei conflata, multò plus moleſtiarum & acerbitatis, quàm quodvis bellum pugnave, mihi videtur in ſe complecti. Atque iſtæ res ad animum pertinentes, longè plus quàm quæ H corpus ſpectant, doloris adferre videntur. *Euſeb. de vita Conſt. lib.3. c.12.*

Demophilo Arianæ ſectæ Epiſcopo, orthodoxam fidem recipere, & populum ad concordiam traducere abnuenti, Theodoſius Imperator dixit: Si pacem & concordiam fugis, te ab Eccleſiæ templis fugere mando. *Socrat. hiſtor. Eccleſ. lib.5. cap.7.*

Chryſoſtomus: Gainas, dux Scytha, Arianæ ſectæ fautor, quum ab Arcadio Imperatore poſtulaſſet, unum ex ſacris templis ſibi dari: Imperator reſpondit ſe de ea re capturum conſilium, & unum ei curaturum promittit. Itaque D. Joanne Chryſoſtomo accerſito, ei poſtulatum Gainæ exponit, commemorat ejus potentiam, moliri tyrannidem indicat, ut templo donato, furentem ejus animum placet. Cui Chryſoſtomus: Ne, inquit, iſtud ei polliceare, neque ſanctum dari canibus mandes. Nam nunquam equidem patiar, ut qui Deum Verbum ſanctè & auguſtè laudibus ac hymnis celebrant, expellantur è ſacro templo, idemque tribuatur eis, qui contra Deum Verbum loquuntur blaſphemias. Atque ne Barbarum illum metuas, ò Impera-

 tor,

tor, ſed me & illum in unum locum convoca, tuque cum ſilentio, utriuſque noſtrum ſermoni auſculta. Ego certè me hominis linguam refrenaturum ſpero; perſuaſurumque, ne poſtulet, quod ei concedi non tribuat. Quibus auditis Imperator vehementer lætatur, & poſtridie ejus diei utrumque accerſit. Gainas tunc promiſſum expoſcit, magnus autem Joannes reſpondet illi ex adverſo. Non licere Imperatori qui pietatem colere inſtituat, aliquid contra res ſacras temerè moliri. Cui iterùm dicenti, templum ſibi dari oportere, reſpondet Joannes, Templum ſacrum apertum eſſe, neminemque eum prohibere, quo minùs in eo, ſi lubeat, preces Deo fundat. Tum Gainas: At ego, inquit, aliam ſectam amplector, & cum hominibus ejus ſectæ unum ſanctum templum habere poſtulo: Atque iſtud quidem non immeritò peto, quippè qui multa bellica certamina pro Romanis confecerim. At præmia, inquit Joannes, tibi propterea tributa, labores tuos longè ſuperant. Nam dux es & honore conſulari dignatus: quin etiam tecum debes conſiderare, quis fueris olim, & qui jam ſis; quæ etiam præterea tua inopia, & in qua jam abundantia vitam degas: quibus quoque veſtimentis priùs indutus eſſes, quàm Iſtrum trajeceris, & quibus jam opertus. Complectere igitur animo, quàm pauci ſint labores, & quàm ampla præmia; atque noli erga eos qui tibi hunc honorem detulerunt, ingratus eſſe. Hac oratione habita, Joannes os obturavit Gainæ, atque adeò obmuteſcere coegit. *Theodoret. Eccleſ. hiſtor. lib.5. c.31.*

Dionyſius Alexandrinus: Tametſi, inquit, hæreticorum libros & traditiones perlegebam, meum ipſius animum ad tempus ſceleſtiſſimis eorum opinionibus quodammodò inquinare videbar: hoc tamen ab illis capiebam commodi, ut non modò eos interiore animi mei cogitatione condemnarem ac refellerem, ſed multò vehementiùs in poſterum deteſtater. Ac cum quidam ex numero presbyterorum me vetaret, deterreretque à legendo, ne turpi pravitatis & perverſæ eorum doctrinæ cœno contaminarer (meam enim mentem errorum labe pollui aſſeruit) eumque vera, meo quidem judicio, diceret, viſio quædam cœlitùs ad me demiſſa, me confirmavit: & vox ad aures allapſa, manifeſtè præcepit ad hunc modum: Omnes libros, quos ſumis in manus, evolve ſedulò. Nam ſatis habes virium & firmitatis ad quæque tum convincenda, tum exploranda, &c. *Euſeb. lib.7. Eccleſ. hiſtor. c.6.*

Modeſtus, Valentis in urbe Edeſſa præfectus, quum Eulogium Epiſcopum juberet cum Arianis Epiſcopis communionem habere, ille reſpondit: Ego quidem ſenex ſum, & paſtoris non expers: cujus vocem ut germanam quidem intelligo, & doctrinam ſequor, neque mihi tam pernicioſa & peſtifera herba opus eſt. *Niceph. Eccl. hiſt. lib.11. c.23.*

Alexander Alexandrinus: Neminem volunt (de hæreticis loquens) ex antiquis Patribus ſibi comparari, neque illis quibus nos ab ineunte ætate uſi ſumus præceptoribus, ſe pares exiſtimari ſinunt: imò verò ne unum quidem collegarum noſtrorum, vel ad mediocrem ſapientiam perveniſſe cenſent: ſed ſe ſolos ſapientes, ſolos egeſtatem voluntariam ſectantes, ſolos dogmatum inventores, & ſibi ſolis ea doctrinæ patefacta eſſe myſteria, quæ in nullius unquam ſub ſole cogitationem ac mentem venerint, arbitrantur. *Theodoret. Eccl. hiſt. lib.1. c.4.*

Sub Hunerico rege Vvandalorum, Antonius Arianus Epiſcopus cum Habetdeum orthodoxum Epiſcopum nulla ſuppliciorum magnitudine adducere poſſet, ut ad Arianiſmum diverteret; obſtructo ore, ligatiſque manibus ac pedibus, in rebaptizationis balneum vi immerſit, ac ei perſuadere poſtea conabatur, quòd hac lotione ſuæ hæreſeos conſors eſſet factus. Verùm ille conſtanti confeſſione hoc ipſum ſtrenuè pernegabat, inquiens: O impie Antoni, non eſt hæc ad mortem damnatio, voluntatis non accedit aſſenſus. Ego fidei meæ tenaciſſimus quæ credo & credidi, voce ſum profeſſus, & clamando defendi. Sed & poſteaquàm catenis vinxiſti, & ore obſtructo loquendi facultatem ademiſti, intra pectoris mei penetralia arcanam fidei meæ confeſſionem, & tuæ iſtius in me violentiæ geſta Servatori meo legenda tranſmiſi, Angelis mihi quoque ſubſcribentibus. *Victor. hiſt. de perſecutione Vandal. lib.3.*

☞ *Nonnulla ex Loco de Aſtutia Religioſa hic accommodabuntur.*

☞ *Vide etiam infrà. Tit. Hæreſis fugata, contempta, convicta.*

* HÆRESIS NOTÆ, ET PROPRIETATES.

Habet Eccleſia Chriſti illuſtriores notas, quibus ab aliis conventiculis ſecernatur, de quibus ſuo loco diximus; habet & ſuam hæreſis, qua ſe prodit, & manifeſtam omnibus reddit. Nota autem omni hæreſi communis eſt, Diviſio. Siquidem non ſolùm à nobis, totiuſque Chriſtiani orbis communione ſeparati ſunt, ſed etiam inter ſeipſos in varias ſectas abeunt, prout infrà oſtendemus. Unde ſicut perpetua Eccleſiæ nota eſt Unitas, ita hæreſum Diviſio. Hoc de Valentinianis & Marcionitis, *Tertull. lib. de Præſcript.* De Arrianis, *Ambroſius & Nicephorus* copioſè litteris conſecrarunt. Quippè ab Arrianis diſceſſit Ætius & Eudoxius, ab hoc, Eunomius, Eunomium Theophronius & Eutychius erroris inſimularunt. Quomodo & Patrum memoria accidit in novatoribus noſtris. A Luthero namque Zvvinglius, ab utroque Oſiander, ab iſto alii deſciverunt. Sic à Calvino diſceſſum, & Calvinus in ſemet diviſus, dum nunc alii Puritani, nunc Proteſtantes: & modò Armeniani, & Gommariſtæ, qui nomen Remonſtrantium & Contraremonſtrantium uſurpant; in materia prædeſtinationis diſſecti, inter ſe digladiantur. Ut verum ſit, quod olim de Neſtorianis ſcripſit *Agatho Papa epiſt. ad Conſtantinum Imp.* Omnes, & alterutrum unuſquiſque eorum condemnat, ſicut variæ eorum, & inſtabiles in ſcripturis definitiones aſſeverant. Legatur *Thom. Staplet. lib.4. Controverſ.1. de Principiis Fidei.*

Novitas.

Altera nota hæreticorum & hæreſum eſt, quòd novam doctrinam, & aliam ab illa publica, totoque orbe recepta, & à Patribus aſſerta inducant. Scribit *Irenæus lib.3. c.3.* de Marcione, Valentino, Cerintho, quòd unuſquiſque eorum regulam veritatis depravans, ſemetipſum, hoc eſt, inventam à ſe doctrinam prædicare non erubeſceret.

Exempla.

De Paulo Samozateno memorat *Euſebius*, quòd relicto Eccleſiæ Canone, ad novam & peregrinam doctrinam tranſierit. *Lib.7. hiſt. c.24.*

Idem de Neſtorio notavit *Socrates lib.7. c.32.*

De doctrina Lutheri, & Calvini, nemo eſt qui aſſerere audeat, eam per omnia ulla ætate ſervatam fuiſſe, quamvis nunc hanc, nunc illam hæreſim olim ſopitam reſuſcitent. De quo infrà.

Spiritus Privatus.

III. Nota eſt, omnes errores ſuos ad verbum Dei ſcriptum ſuo ſpiritu intellectum, velut ad ſacram quandam anchoram reducere, quo fit, ut, quod alibi inſinuat *S. Aug. lib.12. cont. Fauſt. c.13.* dum ex Euangelio quod volunt credunt, & quod volunt non credunt, ſibi potiùs quàm Euangelio credant.

Patrum Contemptus.

IV. Nota, Patres omnes ſocordiæ & ignorantiæ arguere, Concilia etiam prima Oecumenica, cenſuræ ſuæ lima examinare, & rejicere. Videatur *Lutherus in lib. de ſervo arbitrio. Calvinus lib.4. Inſtit. c.9. §.8.*

Occultatio Dogmatum.

V. Sua dogmata initio occultare, ut aſtutè fallant, & in animos irrepant: ita de Arrianis ſcribit *Hilar. lib. de Synodis*, quòd cum prædicare publicè ipſi ſua dogmata non auderent, Imperatorem tamen ſeorſim fallerent ad audiendum. Unde & eoſdem Lucifugas *Athanaſius* vocat.

Exempla.

Atque de aliis notat, quòd Spiritum S. negantes, ſimularent ſe Arrianis contradicere: ſicut ipſe Arrius ſimulabat ſe Sabellium impugnare. *In lib. ad Serapionem in fine.*

D. Hieronymus ſcribens ad Pammachium contra errores Joan. Hieroſolymit. ait, Non eras tam ſtultus, ut apertè defenderes hæreſim, quam ſciebas Eccleſiæ diſplicere.

De Pelagio & Pelagianis, idem advertit *Auguſt.* variis locis.

De Meſſalianis memorat *Theodoretus*, quòd princeps eorum Adelphius non aliter ad hæreſim ſuam manifeſtandam induci potuerit, quàm ſimulante Epiſcopo Flaviano ſe illi ſavere eumque in admiratione habere. *Lib.4. fabul. hæret.*

Simili aſtu ab Imperatore Alexio delinitus Baſilius, Bogomiliorum princeps, ad hæreſim ſuam manifeſtandam inductus eſt. *Euthymius Panoplia part.2. tit.23.*

Inconstantia Doctrinæ.

VI. Nota eſt Inconſtantia doctrinæ; nullæ enim hæreſes durant, ut Eccleſia. Quod falſum eſt, ait *Theodoret. lib.3. hæret. fabul.* facilè diſſolvitur, ſtabiles ſunt veritatis vires. Quocircà evanuerunt quidem diabolicæ operationis fabulæ: valuerunt & geminarunt Euangeliorum dogmata. De beſtia illa quam vidit Joannes in Apocalypſi, quæque hæreſim ſive Antichriſtum adumbrat, dicit Scriptura: Oportet eam ſolvi modico tempore. Omnes enim hæreſes omnium ætatum ab Eccleſia protritæ fuerunt & conculcatæ, ut in qua reſidet Spiritus veritatis, qui eam docet omnem veritatem. Quamvis & inconſtantiam vel maximè in hoc deprehendas, quòd nunquam ſui ſimilis maneat hæreſis: parit aſſiduè, & protrudit alia & alia monſtra; unde vulpibus Sampſonis comparantur, quæ caudis colligatæ meſſem Philiſtinorum exurebant, interim capitibus ſolutæ, invicem dentibus impetebant. Sic & illi turpitudine doctrinæ ſibi adhærerent, ut in Dominico agro ſuperſeminent zizania in medio tritici: interim capitibus, hoc eſt, ipſiſmet fidei quam proponunt principiis, ab invicem ſejuncti, in ſe mutuò linguam & ferrum acuunt, invicem mordent, proſcribunt, & quod miſeriarum omnium ultimum eſt, etiam in ergaſtulum ſceleratorum relegant. Quomodo hoc ipſo an. MDC. XX. numero XI. ex Armeniorum miniſtris, Amſterodami in hanc ſervitutem devenerunt, potiores hic partes obtinente Gummariſtarum factione. Attamen ſi Satanas in ſeipſo diviſus eſt, quomodo ſtabit regnum ejus?

Error Doctrinæ.

VII. Nota eſt Error; omnis namque hæreſis apertum continet errorem fidei Catholicæ contrarium. Imò niſi ſit error, non erit hæreſis. Qui ſemel mentitur, ſcribit *Lutherus in aſſert. Teuton. art.25.* hic certiſſimè ex Deo non eſt, & ſuſpectus in omnibus habetur. Sanè inter errores hæreticis noſtri temporis communes, duo hi maximi ſunt. Primus, nullam eſſe arbitrii libertatem, ſed omnia inevitabili neceſſitate evenire. Secundus, Deum non minùs eſſe authorem & impulſorem operum bonorum, quàm malorum. Qui ſanè errores omnem tollunt politiam, leges & judicia enervant. Adde, familiare illis eſſe repugnare doctrinæ Patrum, & Conciliorum decretis: Sibimet abſque modo contradicere. Antilogias enim Lutheri *Coclæus*, Calvini *Coccius* recenſet, ipſiſmet eorum verbis.

Improbitas Doctrinæ.

VIII. Nota Doctrinæ Improbitas, quippè & in Deum injuria, uti ex præcedenti nota colligitur, & ad vitæ licentiam manu ducit, omnis probitatis frænos laxando. Eximunt enim ab homine omnem timorem, cum quo nos ſalutem noſtram operari Apoſtolus monet. Decalogum impoſſibilem clamant, qui ab homine obſervetur, imò eum etiam ſanctis impoſſibilem *Calvin. lib.2. Inſt. c.7. §.5.* aſſeruit. Operum bonorum meritum tollunt. Solam fidem ſpecialem ſtatuunt cauſam juſtificationis: hoc eſt, hominem juſtum conſeri coram Deo, hoc ſolo quòd firmiter credit, Chriſtum plenè pro peccatis ipſius ſatisfeciſſe, Deum fidelibus ſuis nullum ſcelus quantumvis enorme ad culpam imputare. Quæ omnia ſanè quantam ad omne flagitium vitæque turpitudinem licentiam præbeant, nemo non videt.

Operum Bonorum Eversio.

IX. Nota, quòd evertant Bona opera, qui eadem dicunt natura ſua non eſſe aliud, quàm inquinamenta & ſordes: ita ut nullum, teſte *Calv. lib.3. Inſt. c.11. §.4.* à ſanctis exire poſſit opus, quod non mereatur juſtam opprobrii mercedem. Quod ſi ita eſt, quomodo non erit melius ab operibus bonis abſtinere, quàm ea facere? cum eadem faciendo peccemus, iramque Dei provocemus?

Miraculorum Defectus.

X. Nota, quòd careant ſigillo quo confirmentur, nempè Miraculis: quæ maximè neceſſaria ſunt, ut qui novam Doctrinam è cœlo ſe habere venditant, non impoſtores habeantur, ſed veri Paſtores, & à Deo miſſi. Unde miſſionis ſuæ πληροφορίαν, & plenam fidem facere debebunt: quod non niſi divinorum ſignorum exhibitione præſtare poterunt. Ita enim ſemper obſervatum ex S. Litteris, & hiſtoriis divinis haurimus, ut quotquot immediatè à Deo miſſi ad populum docendum fuerunt, ſupernaturalibus ſignis inſtructi venerint. Dicebat Lutherus, non carere ſpecie miraculi, quòd tam pauco tempore tam multi ipſius doctrinam amplecterentur. Verùm id non magis habere ſpeciem miraculi, quàm lapides, qui ſurſum ſunt, deorſum cadere, reſpondiſſe perhibent. *Thom. Morum: Facilis enim deſcenſus Averni.*

Successionis Defectus.

XI. Quòd qui hæreſim profitentur, careant Succeſſione: Item Univerſitate locorum & temporum. Succeſſionem tanti fecerunt veteres, ut vel ea ſola in Eccleſiæ gremio detineret B. Auguſtinum. Sunt enim hæretici à ſeipſis ordinati, nemini ſuccedentes, ut de Novato ſcribit *Cyprianus*, de ſe nati. Eccleſia vera per Epiſcoporum legitimas ſucceſſiones ab Apoſtolis derivatas perpetua eſt. *Optat. Milevit. l.2. contr. Parmen.* volens convincere Donatiſtas, apud eos Eccleſiam non eſſe: Veſtræ ait, Cathedræ originem oſtendite, qui vultis vobis ſanctam Eccleſiam vendicare. Jam autem nemo aſſignari poteſt, qui ante exortam hæreſim aliquã, eam tenuerit, aut docuerit aliquando. Ante Lutherum aut Calvinum, nemo Lutheran. vel Calviniſta.

Deinde nulla hæreſis ſemper & ubique propagata legitur, unde Catholicæ nomen ei non convenit. Quædam enim per plures annos, & regiones pervagatæ, tandem tamen evanuerunt, portis inferorum adversùs Eccleſiam non prævalentibus. Floruerunt potiſſimùm Ariani a.80. Donatiſtæ pluſquam 200. Epiſcopatus in Africa occupaverunt. Novatiani duobus penè ſæculis zizania ſua ſeminarunt. Iconomachi per Orientem propagati. Cæterùm extincti omnes, & alliſi ad columnam & firmamentum veritatis, Eccleſiam, quæ eſt civitas ſuprà montem poſita, & abſcondi non poteſt. A qua quicunque ita diſſentiunt, ut eorum communio non ſit cum toto, inquit *S. Aug. l. de unit. Eccl. c.4.* quantumcunque diffundatur, vel in aliqua parte ſeparata inveniatur, manifeſtum eſt, eos non eſſe in Eccleſia Cathol.

Dominatio Propria.

XII. Notam advertit *D. Hier. in fine Dial. cont. Lucif.* quòd nempè hæreſes omnes ab Authore nomen accipiant, etiam in aſſeclas tranſmittãtur. Ita nãmque ſcribit: Brevem tibi apertamque animi mei ſententiam proferam: in illa eſſe Eccleſia permanendum, quæ ab Apoſtolis fundata, uſque ad diem hanc durat. Sicubi audieris eos qui dicuntur Chriſtiani, non à Chriſto, ſed ab alio quopiam nuncupari, puta Marcioniſtas, Valentinian. &c. (adeò Lutheranos, Calvin. Armenian. Gummariſtas) ſcito non eſſe Eccleſiam Chriſti, ſed Antichriſti Synagogam.

Vitæ Conditio.

XIII. Nota eſt, vitæ morumque Conditio, quam præ ſe ferunt, qui primùm hereſes comminiſcuntur. Hoc enim omnium temporum ſeries probat, non niſi ſceleratiſſimos eſſe hæreſum inventores; ut graviter & veriſſimè poſt *B. Cyprian. lib. de unit. Eccleſ.* ſcripſerit Magnus ille *Aug. in l. de vera Relig. c.8.* Ex hominibus hæreticos fieri, qui etiam ſi eſſent in Eccleſia, nihilominùs perirent: nunquam enim hæreſis eſt primum peccatum. Ita *S. Ioan. in Epiſt.* Si, inquit, fuiſſent ex nobis, id eſt, veri & legitimi filii Dei, manſiſſent nobiſcum.

Quæ autem major improbitas, quàm Scripturam ſacram rejicere, mutilare, depravare? Manichæi totum vetus teſtamentum & *caput 1. Matth.* ex novo, & ſcripturam divinam negabant.

Marcioniſtæ totum Euangelium Lucæ, & quinque Epiſtolas Paulinas ſuſtulerunt,

Idem in *Epiſt. ad Hebr.* tentavit Arius. In veteri Teſt. Ætius.

Moderni Hæretici *libros Machabæorum*, quos, teſte *Aug. l.18. de Civit. c.36.* pro Canonicis ſemper Eccleſia agnovit, è ſacro Canone eradunt. *Epiſtolas S. Iacobi*, & poſteriores *Petri & Ioannis, pro Apocryphis* habent, quòd videant per hæc teſtimonia eorum dogmata convelli, & Catholicam veritatem ſtabiliri. Imò Lutherus videtur unicum Euangelium S. Joannis agnoſcere pro vero & legitimo.

Jam verò ſi in vitam & mores eorum oculos flectimus, videbimus non unius duntaxat ſceleris infamia reſperſos. Nicolaus Diaconus, cum ad exemplum Apoſtolorum à propria uxore abſtinuiſſet, poſt à propoſito dilapſus, ac reprehendi veritus ſtatim eò impudentiæ proceſſit, ut neminem ſalvari poſſe palam clamaret, niſi rei venereæ quotidie operam daret.

Marcion dum ob corruptam virginem acriter objurgaretur, tria excogitavit baptiſmata in remiſſionem peccatorum. *Cornel. a Lapide in c.1. Epiſt.1. ad Timoth.*

Montanus nuptiarum divortia introduxit, quò liberior eſſet copulæ uſus. Unde & Prophetiſſæ ipſius, ſtatim ac ſpiritu illo repletæ erant, maritos deſerebant, ut ita libidinibus effrenes vacarent. Ita ex Apollonio *Euſeb. lib.5. hiſt. Eccleſ. c.17.*

Neque eſt quòd vetera perquirendo adferantur, domeſtica in promptu ſunt.

Lutheri vitam nemo ignorat: quòd ſcilicet Monachus profeſſus, & annis XV. ſacerdos, duplici continentiæ voto obſtrictus, profeſſione & habitu relicto, ad ſæcularem vitam ſponte digreſſus, inceſtuoſis ſe nuptiis polluerit, ſanctimonialem profeſſam ſibi copulando; quod omnium DD. judicio infamiam importat.

His adde animi malevolentiam, quam in *Epiſtola ad Argentinen.* ſcripta prodit; nempè ſe libenter negaturum fuiſſe realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia, ut Papatui incommodaret, niſi Scripturæ in contrarium eſſent tam claræ, ut nullus linqueretur negandi locus.

Item *in lib. de formula Miſſandi*, dicit: Si quod Concilium ſtatueret, aut permitteret utramque Euchariſtiæ ſpeciem, quòd in deſpectum Concilii, aut una, aut neutra uti vellet.

Joannis Calvini encomia litteris conſignata fuerunt (quamvis ejus ſectatores ea eradi curarint) in actis judicialibus Ci-

A vitatis Noviodunenſis, quæ à ſe viſa teſtatur *Hieron. Bolſecus*, & alii. Nempè quomodo ob ſodomiæ probatæ crimen, intercedente Epiſcopo, ignis ſupplicium evaſerit, tergumque virgis dumtaxat feriendum, & candenti lilio uſtulandum exhibuerit. Teſtatur id prænominatus *Bolſecus in vita ejuſd.* neque hactenùs ullus Calvini diſcipulus hoc crimen ulla excuſationis ſpongia deterſit, aut Bolſecum calumniæ convicit, aut à Magiſtratu Noviodunenſi teſtimonium, quo falſitas pateret, poſtulavit. Ejus etiam infamis ſceleris meminit *Julius Brigerius in Flor. Calvin.* & notant Docti, Calvini nomen anagrammate exprimi per nomen Lucianus, ut hujus ſcilicet impietas in iſto notetur: ſcripſit idem *Thom. Staplet. in Prompt. Cathol. Sabb. hebd.* 3. *Quadr. Edmundus Campian. Surius ad an. Dom.*1538. *Reginaldus lib.*2. *Calvino turciſmi c.*11. Fatetur hoc ipſum *Conradus Schluſſelburgius* Lutheranus, *à Reginaldo* citatus. Et *VVittacherus Calviniſta* ſummo in præceptorem amore, *in Reſp. ad objecta Campiani pag.*50. Calvinum cum D. Paulo confert, inquiens: Si ſtigmaticus fuit Calvinus, fuit etiam Paulus. ò Craſſe! ò Heraclite! ridete. Alia Calvini ſcelera quærantur *apud Bolſecum*. Libidines etiam Theodori Bezæ poſteritati tradidit *Conradus lib.*1. *fol.*92. Denique B quid magis infame, quàm aperta mendacia pro veris dogmatibus obtrudere rudi populo, eumque circumvenire? præſtat hoc per hæreſes ceu idonea inſtrumenta mendacii pater, dum quos veritatis luce veretur illuſtrare, mendaciorum calumniarumque caligine ad errores perducit. Hinc Catholicos de Judaica ſuperſtitione, cultu gentilitio, Idololatria, aliiſque flagitiis accuſant: nunc Pelagianorum ſuperbiam, circa meritum operum: nunc Manichæorum ſordes circa cœlibatum: nunc aliorum inſaniam, doctrinæ Catholicæ impingunt. Cæterùm cum ea ſuper petram fundata ſit, detrimentum non patitur, etiamſi tempeſtas ingruat; quippè fundamenta ejus in montibus ſanctis.

* HÆRESIS FRUCTUS, ET TYRANNIS.

Omnium hæreſum fructus ſunt, Religionis everſio, cultus & honoris divini extirpatio, Regnorum excidium, legitimorum Magiſtratuum depulſio, omniumque bonorum oppreſſio. Ut enim duo ſunt fundamenta omnis felicitatis, Religio C & Juſtitia; ita ubi ab eis cœptum eſt declinari, etiam illa imminuitur.

Populus Judaicus cum à via præceptiſque divinis, & religione deflectere cœpit, ocyùs etiam omnibus bonis privatus fuit.

Quando filii & Heli & Samuelis reliquerunt Dei mandata, & cultum, amiſerunt principatum. 1. *Regum c.*4.

Etiam Salomon averſus à Domino & præceptis ejus, audivit terribilem ſententiam: Quia non cuſtodiviſti pactum meum, & præcepta mea quæ mandavi tibi, diſrumpens ſcindam regnum tuum, & dabo illud ſervo tuo. 3. *Reg. c.*11.

Sadducæus Hæreticus inter Judæos, totam illam gentem diſſipavit, & admodùm crudelis exſtitit in nationem ſuam, ita ut ſex millia trucidaverit, ſeptingentos Phariſæos crucifixerit, alios in fugam coegerit. Poſt mortem Ariſtobuli Alexandria illius vidua voluit Phariſæos & Sadducæos convenire, ſed non potuit id aſſequi. Quare perturbato regno, & filiis de imperio diſputantibus, regnum in Romanorum venit poteſtatem.

Nec eſt quòd vetera producamus; de Arrianæ ſectæ crudelitate & tyrannide, quantumque per orbem Chriſtianorum invexerit diſſidii & turbarum, notum ex hiſtoriis.

D In Regnum Galliæ & Angliæ, & Belgium, quid non monſtri hæreſes invexerunt? Jam anni plus minus LX. ſunt, quòd Germania ardeat bellis inteſtinis, quæ hæreticus furor ſuſcitavit. Etiam Belgium noſtrum quod inſtar Paradiſi terreſtris aliquando fuerat, hac peſte contabuit, & etiamnum pro parte ſub ſtigmate Calvinianæ tyrannidis gemit.

Nuperum in Bohemia diſſidium & excidium documento eſt, quomodo regnorum jura peſſundet hæreſis, quando Fredericus Palatinus hac lue infectus, & à factioſis inſtigatus, regnum invaſit, & Romanas aquilas irrito conatu convellere pueriliter adlaboravit, tamdemque & illis, & Palatinatu ſuo meritò excidit.

Excidii Regnorum per Hæreſes cauſa.

Cur autem hæreſes Imperiorum Regnorumque diſſidia importent, hinc eſt, quòd conſcientiam extinguant, omnemque religionem animis eximant, quo fit, ut timor Dei pellatur, & conſequenter reverentia ſubditorum erga ſuum Principem peſſundetur. Sic Antiochus olim, ut Judææ præſidia ſibi magis E reddat ſecura, ponebat in ſingulis urbibus Idola, ut ea ratione Judæi Regem & legem mutarent, fierentque Gentiles, & Gentili Regi liberiùs adhærerent. Id eum feciſſe patet, 1. *Mach. c.*1. *v.*57.

Sic Jeroboam timens, ne ad templum & Roboam populus rediret, vitulos aureos conſtituit in Dan & Bethel.

Qui primos in Belgio motus excitarunt, aſtutè, tanquam filii tenebrarum, hæreſim invexerunt, & effræni populo conſcientiæ libertatem: ita illi ſervitutem Diabolicam appellabant: permittendam plenis buccis crepaverunt: idque non alio fine, ne populus conſcientia & religione tactus, ſuo Regi auſcultaret, & ab Orangio aliiſque factioſis deſciſceret.

Eadem ratio Hugonottas in Galliis, Huſſitas in Bohemia, alios alibi impellit, ut errores ſuos tanto conatu diſſeminent.

CATHOLICA FIDES PER HÆRESES ILLUSTRIOR.

Certè ſapientiſſimus rerum moderator Deus, ſapientiæ ſuæ magis congruere vidit, ex malis bona facere, ut dixit aliquando *S. Aug. in Enchirid.* quàm mala nulla permittere: ſic maximum F hoc omnium malorum hæreſim permittit, ut bona eliciat. Oportet hæreſes eſſe, dixit Apoſt. 1. *Cor.*11. ut qui probati ſunt inter vos, manifeſti fiant. Ubi indicat hunc fructum hæreſeon, quæ ſpectata humana inconſtantia à Deo permittuntur, ut qui probati ſunt, hoc, eſt ſolidi & firmi in fide Chriſtiana, ſe magis probent, & manifeſtam faciant ſuam conſtantiam, atque in medio hæreſum procella ſe immunes ab hæreſi ſervent. Nemo magis Eccleſiaſticus eſt, ait *D. Hier. Epiſt.* 79. quàm qui nunquam hæreticus fuit.

Erant tempore Apoſtoli apud Corinthios ſchiſmata & ſectæ in cœna Euchariſtica, nimirùm de loco recumbendi, de tempore, convivis, cibis; nam in cœna Dominica divites excludebant pauperes, eamque ſeorſim agebant: quando dicit Apoſtolus, pauperum conſtantiam & modeſtiam, & charitatem illorum divitum qui oderant eas ſciſſuras, & pauperes ad ſuas Agapes advocabant, fuiſſe magis illuſtrem, ac manifeſtam.

Hoc modo etiam hodie in Anglia & Batavia, ubi ob frequentes Catholicorum perſecutiones, magis illuceſcit, & manifeſtatur fides per illos, qui in mediis tempeſtatibus à religione divelli nullatenùs ſe ſinunt. Alius fructus eſt quem inſinuat G *S. Aug. lib. de vera relig. c.*8. quòd Hæreticorum inquietudine noſtra excitetur induſtria, ad penitiùs indagandam veritatem. Utamur ergo, ait, hoc divinæ providentiæ beneficio; utamur hæreticis, non ut illorum approbemus errores, ſed ut Catholicam diſciplinam adversùs eorum inſidias aſſerentes, vigilantiores & cautiores ſimus, etiamſi eos ad ſalutem revocare non poſſimus. In hoc enim proſunt, quòd ad verum quærendum carnales Catholici, ad verum aperiendum ſpirituales excitentur. Unde alio loco, *Enarrat in Pſal.*54. Nunquid perfectè de Trinitate tractatum eſt, antequam oblatrarent Arriani? nunquid perfectè de Pœnitentia tractatum eſt, antequam obſiſterent Novatiani? &c. Quod quidem hoc tempore ita ſe etiam habere, luce meridiana clarius eſt. *Requirat Lector pleraque in Loco de Impietate.*

* HÆRESUM AUCTOR ET PRINCEPS DÆMON, EIQUE HÆRETICI SUNT CURÆ.

Præmittimus, quid de hoc argumento ſcriptum reliquerit *S. Iſidorus Peluſiota*: Et apud Gentiles (quamvis etiam eos in poteſtate ac ditione ſua habens, ac pro libitu ſuo agens ac ferens) & apud Judæos (tametſi etiam eos velut rabido quodam H furore percitos, ad idolorum cultum atque homicidia impuliſſet) multas hæreſes Diabolus procreavit. Quòd ſi apud Chriſtianos quoque multò plures peperit, nemini mirum iſtud videatur. Nam cum ante carnalem Chriſti adventum ac præſentiam omnes utili temulentia laborare, nec ullum, ut ita dicam, purè atque integrè ſobrium eſſe conſpiceret; idcircò pauca contentionis ſemina injiciebat. Poſtquam autem ſalutare Verbum cœlitùs venit, nobis quidem cœleſtis vitæ generis documenta ferens, Diabolo autem, per eas minas quas in peccatores intendebat, pœnam quæ ipſum manebat, pronuncians (dicebat enim: Ite in ignem qui paratus eſt diabolo & angelis ejus) tum verò communis ille omnium hoſtis, tum quòd genus noſtrum ſenſim ac paulatim vitium excutere, ac virtutem admittere, atque impietatem ablegare, ac pietatem amplecti perſpiceret; tum quòd condemnationis ſuæ decretũ audiviſſet, acrius adversùm nos flavit, atque hæreſes in lucem protulit. Nã cũ pietate jam oblectari nequeat, in id omni animi contentione incumbit, ut per ipſius nomen pleroſque ad impietatem ducat: atque pietatis ſpecie atq; obtentu veritatem evertere conatur: coſ-

A eoſque, qui optimæ vitæ laude perſæpè excelluerunt, per corrupta dogmata obruit. Etenim unicum hoc illi opus, unicumque ſtudium eſt, ut omnes ad unum, ſive per vim, ſive per adulterina dogmata, in exitii pelagus ſecum præcipites agat. Hæc igitur hæreſum principes cogitantes, adversùs veritatem ſemina jacere deſinant, illud ſecum reputantes, quòd ipſi præ cæteris in ſummo periculo verſantur. Deſinant etiam illorum auditores anticipatæ dumtaxat opinioni ſervire, atque adversùs veritatem impetum facere: ne alioqui magnum omnique ſermone præſtantius Salvatoris facinus, quantum quidem in ipſis eſt, inane atque infrugiferum reddant. Deſinant item ii, qui rectis quidem dogmatibus gloriantur, verùm per vitæ ſegnitiem ea facere convincuntur, quæ eos nothos ac ſpurios pietatis diſcipulos eſſe coarguunt: atque ad rectam fidem optimam vitæ rationem adjungant. Sic enim futurum eſt, ut omnes Dominicam vocem laudes noſtras prædicantem audiamus. *Lib.*2. *ep.*90.

Apoſtolus Paulus inſtruens Timotheum Epiſcopum circa ea quæ muneris ſui erant, etiam monet vigilantiæ adversùs illos, quos Spiritus ſanctus prædixit certò diſceſſuros à fide tempore B Meſſiæ, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum; ex quo loco *B. Chryſoſt. hom.* affirmat omnem hæreſim ex diabolo eſſe: exempla ſunt ejus rei non pauca.

Arii, & Eunomii hæreſin à dæmone inſpiratam, ex propria ipſiuſmet confeſſione accepiſſe ſe ſcribit *Caſſian. coll.*7. *c.* 32. Simonem Magum, & Marcum, & Montanum, alioſque Hęreſiarchas, qui Eccleſiam primis temporibus oppugnaverunt, habuiſſe dæmonem paredrum & familiarem, quomodo Eccleſia paredrum & velut aſſeſſorem habet Spiritum S. teſtis eſt *Irenæus lib.*1. *c.* 9. *& lib.*2. *cap.*57. *Euſeb. lib.* 5. *hiſtor. Eccleſ. cap.*17.

Martinus Lutherus teſtatur de ſeipſo (ejus verba ſunt) diabolum & ſe, familiariter inter ſe mutuò noſſe, & plus uno ſalis modio ſimul comediſſe, illumque dulci alloquio ſe frequenter conveniſſe, & nocte excitaſſe, atque ſtimulaſſe, ut contra Miſſam ſcriberet, & ad eam rem argumenta ſuppeditaſſe. *In lib. de Miſſa angulari.*

Eraſmus Albertus Baſileenſis Eccleſiaſtes, Cacodæmonem Carolſtadio concionanti, hominis proceri ſpecie, apparuiſſe ſcribit, triduo antequam moreretur. *Refert Cornel. à Lapide* C *in cap.*4. *ep. ad Timoth.*

Joannes *Calvin. ep. ad Bucerum*, monentem, ut conviciis & maledictis abſtineret, reſpondit, non ſui ingenii eſſe morbum, ſed ſui genii, puta diaboli paredri; nec enim bonus Genius Angelus maledicentiæ poteſt eſſe incentor.

In hiſtoriis Fratrum Prædicatorum legitur (ut habet *Bernardus Lutzemburgus in Catal. hæret.*) in Epiſcopatu Brixienſi Virum quendam fuiſſe tanta ſanctitate & vitæ puritate, ut pleriſque videbatur, ut alter Joannes Baptiſta ab illis haberetur, adeò quidem ut ejus nominis fama & celebritate plerique omnes ejus provinciæ allecti, ad eum, velut ad ſanctum Dei hominem, gregatim confluerent; qui tamen hæretica pravitate infectus erat: ſed qua hæreſi, & quo tempore id acciderit, ſubticet Bernardus. Cùm autem ille vita functus, & honorificæ ſepulturæ demandatus eſſet, poſt aliquod tempus fidei inquiſitor, per teſtes fideles examine diligenti peracto, reperit illum fuiſſe hæreticum: ideoque de conſilio Epiſcopi & aliorum prudentium virorum ſancitum eſt, ut ejus cadaver effoderetur, & oſſa igne cremarentur. Populo itaque circumſtante, ejus oſſa in ignem conjecta ſunt, quæ mox dæmones ex eodem igne in D aerem attollentes, ea ſuſpenſa ſuper ignem tenebant; non tamen illi videbantur. Ex quo effectum, ut populus exclamaret, Epiſcopum cum ſuis eſſe necandum, qui invidia moti, ſanctum Dei virum exurere præſumpſiſſent, id Deo nolente neque permittente. Quarè exterritum Epiſcopum, ſui bono animo eſſe deprecati ſunt, in hæc verba prorumpentes: Domine Epiſcope, ne ulla re frangaris, quæſumus, quandoquidem hìc pro fidei tuitione adſumus; ſed ad ſacrum peragendum te potiùs præpara, viſuri experientia ipſa, num Deus aliquod miraculum ſuper hac re exhibiturus ſit, ne fides in diſcrimen veniat ac periclitetur. Miſſa ea fuit de beata Virgine: cumque Corpus Dominicum ſurſum ab Epiſcopo levaretur, dæmones in aere exclamare auditi ſunt in hunc modum: O Guido de Lacha, te hucuſque quantùm potuimus defendimus, ſed ampliùs non poſſumus, quia major nobis adeſt: moxque in ignem oſſa ceciderunt & combuſta ſunt, & fides ab omnibus exaltata. Ex quo diaboli dolus facili negotio perpendi poteſt, qui hæreticum hominem etiam defunctum defendit, quò plures animas decipiat. *Prat. lib.*8. *vitæ hæret. n.*16.

Anno ab incarnat. Dom. M. CC. XXXI. prædicante in Teutonia E Magiſtro Conrado contra hæreticos, & ab eiſdem felici morte perempto, hæreticus quidam (ut ab eodem Conrado accepi) ſeductus à dæmonibus, Fratrem quendam Ordinis Prędicatorum ad hæreſim invitabat. Quem cum videret inſtantiſſimè renitentem, dixit Fratri: Pertinax es valdè in fide tua, nec tamen de hac, niſi per ſcripta quædam, aliquid certius inſpexiſti: Credere autem ſi velles dictis meis, Chriſtum tibi, & matrem ejus, & ſanctos oculata fide monſtrarem. Mox ille illuſionem dæmonum ſuſpicatus, volens tamen probare, quid eſſet: Non immeritò, inquit, tibi tunc crederem, ſi promiſſa duceres ad effectum. Gaviſus hæreticus diem fratri ſtatuit. Frater verò pixidem cum Sacramento corporis Chriſti clam ſecum ſub cappa portavit. Duxit ergo fratrem hæreticus in ſpecu cujuſdam montis in amplum valdè palatium, quod claritate mirabili relucebat. Nec mora, ubi in inferiorem partem palatii pervenerunt, viderunt thronos poſitos quaſi ex auro puriſſimo, in quibus ſedebat Rex fulgore coruſco circumdatus, & juxta eum Regina ſereno vultu pulcherrima, & ex utraque parte ſedilia, in quibus ſeniores, quaſi patriarchæ, vel velut Apoſtoli, aſtante permaxima multitudine angelorum, & hi omnes luce ſiderea coruſcantes, ut nihil minùs quàm dæmones putarentur F. Hos mox ut vidit hæreticus, cadens in faciem adoravit. Dictus autem Frater immotus ſtetit, ſed tanto ſpectaculo vehementer obſtupuit, & mox ad eum converſus hæreticus: Quarè, inquit, Dei Filium intuens non adoras? Pronus accedens adora, quem vides, & ab ore ejus fidei noſtræ ſecreta ſuſcipies. Tunc Frater accedens propiùs, extraxit pixidem, & obtulit reginæ in ſolio ſedenti, dicens: Si regina es mater Chriſti, ecce filius tuus; quem ſi ſuſceperis, te velut matrem Dei recognoſcam. Cum hac protinùs voce totum illud phantaſticum evaneſcit, & adnihilato fulgore tantæ tenebræ denſuerunt, ut vix Frater cum doctore ſuo ad montis exitum regredi potuerint. Converſus ergo hæreticus ad fidem rediit, & miram dæmonis aſtutiam ſtupefactus expavit. *Antonin. in Chronico part.*3. *tit.*23. *cap.*10.

Cum Maximilianus Imp. felicis recordationis ejus nominis primus, Auguſtæ Vindelicorum an.1518. Imperialia Comitia, eademque ultima ſuæ Majeſt. inſtituiſſet, ac patentibus valuis, ut moris eſt, pranderet, ingreſſus cum multis aliis triclinium prandentis Imperat. Martinus Lutherus. Maximilian. Imper. viſum Lutherum cum exactiùs paulò & diutiùs intueretur, tandem G Baronem ex familia Schenk de Eipach Majeſt. ſuæ aulicum & pincernam alloquitur his verbis: Vade, & aſpicias Monachum cucullo veſtitum à vertice capitis uſque ad plantam pedis, & à planta pedis uſque ad verticem capitis diligentiſſimè; & quod videris, referto. Baro Imperatori interroganti reſpondit, ſe Monachum cucullo veſtitum vidiſſe; quid verò pectori & animo ejus inſediſſet, videre non potuiſſe. Imperator rurſus iiſdem, quibus anteà, verbis mandat Baroni Monachum denuò colluſtrare. Baro etiamſi iterata vice adiret, refert ſe nihilo plus quàm anteà videre poſſe. Imperator phraſi ſibi familiari regerebat: Amore boni Dei, fac quæ jubeo. Baro obtemperans, vadenſque & rediens, eundem ſermonem Imperatori (uti ſuprà dictum) interroganti repetiit. Subjungit protinùs Imp. Si tu nihil vidiſti, nec vides, dicam tibi quid ego videam. Video cacodæmonem forma corporea humeris iſtius Monachi incubantem, & te quidem ſuperſtite, me verò defuncto, iſte Monachus turbas, calamitates & miſerias graviſſimas in Imperio ſuſcitabit. Hæc verba ex ore D. Maximiliani audivit quidam præcipuus Germanię Princeps ſæcularis, cujus nomen conſultò præterimus, qui eo ipſo tempore H menſæ Imperatoris cum aliis Principibus, Comitibus, Baronibus & Nobilibus adſtitit. Iſte verò Princeps hæc veraciter contigiſſe filio ſuo retulit. Qui filius, Princeps & hæres hæc omnia & ſingula duobus Principum Electorum Conſiliariis primariis fide dignis recenſuit, quem utrumque probè novimus: alter verò illorum adhuc ſuperſtes hæc & voce & ſcripto nobis communicavit. *Tilm. Bred. lib.*7. *coll. Sacr. cap.*41.

Non abſimile eſt huic, quod refert *Vuielmus Malmesburienſ.* de Berengario, quòd cùm in extremis poſitum Epiſcopum Carnotenſem Eulbertum multi viſitarent, & ædium capacitas vix confluentibus ſufficeret, ille inter oppoſitas catervas oculo longè conſpicatus Berengarium, niſu quo valuit expellendum indicavit, proteſtatus, immanem dæmonem propè ipſum conſiſtere, multoſque ad eum ſequendum blandiente manu, & illice anhelitu corrumpere. *Lib.*3. *de geſt. Angl. Baron. tom.*11. *Anv.*

Cum S. Dominicus primus Ordinis Prædicatorii inſtitutor, in Toloſæ partibus apud Caſtrum, quod fanum Jovis vocant, prædicaret, & aliquando fidem Catholicam egregiè ad-

adſtruens hæreticorum perfidiam multis rationibus confutaſſet, abſoluta concione, more ſolito in Eccleſia precandi cauſa remanſit. Et ecce novem matronæ nobiles ex illo caſtro veniunt, intrant templum, & ad pedes ejus procidentes dicunt: Serve Dei, adjuva nos: ſi vera ſunt, quæ hodie pro concione dixiſti, jam pridem neceſſe eſt, ut ſpiritus erroris mentes noſtras excæcarit: nam iſtos, quos tu hæreticos vocas, nos homines bonos appellamus, uſque in præſens credidimus & adhæſimus toto corde: nunc verò prorsùs animis fluctuamus. Serve Dei, adjuva nos, & ora Deum tuum, ut notam nobis faciat fidem ſuam, in qua vivamus, moriamur & ſalvæ fiamus. Tum vir Dei ſtans, aliquandiu intra ſe orans, paulò pòſt dixit ad eas: Conſtantes eſtote, & expectate intrepidæ. Confido enim in Domino Deo meo, quòd ille, qui neminem vult perire, jam declarabit vobis, cujuſmodi domino hactenùs adhæſeritis. Moxque viderunt è medio ſui felem teterrimum proſilire, canis magnitudine, craſſis oculis & igneis, lingua oblonga, lata, ſanguinolenta, & uſque ad umbilicum producta, cauda brevi & in ſublime erecta, ita ut loci ejus turpitudinem, quocunque ſe verteret, hominum oculis oſtenderet, fœtore intolerabili inde exhalante. Cumque apud matronas illas ſeſe hora una huc illucque agitaſſet, ad reſtim, quæ à campana pendebat, inſiliens, & per eam ſurſum ſcandens, tandem diſparvit, fœda poſt ſe veſtigia relinquens. Converſus autem Dominicus ad matronas, nimiùm territas conſolabatur, dicens: En ex eo quod coram oculis veſtris, Deo volente, apparuit, poteſtis animadvertere, qualis ſit ille, cui hucuſque ſerviiſtis. At illæ gratias Deo agentes, ad fidem Catholicam integerrimè ſeſe receperunt, & quædam ex iis apud ſorores de Pruliano Religionis habitum induerunt. *Theod. de Apol. lib. 2. vitæ S. Domin. cap. 8.*

De Henrico Zuinglio refertur, quòd, cum Andreæ Carolſtadii ejus præceptoris inſulſa interpretatio non placeret, quam ſuper illis Domini verbis dabat. Hoc eſt corpus meum, quod ſcilicet huic aſſidet menſæ; ipſe novam de Euchariſtia ſectans ſententiam (quam ſeſe in Batavi cujuſdam epiſtola reperiſſe fatebatur) interpretabatur, hoc eſt, id eſt, hoc ſignificat. Quod prodigioſum commentum exemplis è ſcriptura petitis cùm nec ſibi, nec auditoribus perſuadere poſſet, narrat ſibi in ſomno viſum adeſſe monitorem (alter fuerit, an albus, inquit, in ſubſidio de Euchariſtia non memini, qui diceret? Quin, ignave, reſpondes quod ſcribitur *Exodi* 12. Eſt enim phaſe, hoc eſt tranſitus. Sic ſpiritui nocturno erroris cum digna ſui eluſione inhærent, qui ſpiritui claræ veritatis & veræ fidei nuncium remiſerunt. *Zuingl. lib. de ſupplemento Euchariſtiæ. Titelmanus Heshuſius cont. Calvin. & Bezam.*

De Epicteto ſanctiſſimo Monacho legimus *in vitis Patrum*, quòd cum energumenus ad eum ductus eſſet, ut per orationem Dæmonium ejiceret, inclamare cœperit adversùs Epictetum, & inter alia dixerit: Ego ſum qui per Montanum plures blaſphemias protuli, per Arium urbem Alexandrinam invaſi, atque ut filium Dei creaturam diceret, perſuaſi. Ego per Donatum totam Africam devaſtavi. Hæc aliaque plura vociferatus, beati viri precibus domicilio ſuo ejectus fuit. *Lib. 1. de vit. Pat. per Heribert. Roſiveydum reſtitutis.*

Cæterùm non eſt quòd in hujus argumenti probatione immoremur, cum pleni ſint hiſtoricorum codices, quàm multi Hæreſiarchæ cum Dæmone egerint, ab eoque ſuam doctrinam hauſerint. Docet hoc de Simone Mago *Egeſippus & Cyrillus*: de Baſilide *Theodoretus*: de Marcione *Innocentius*: de Menandro *Epiphanius*: de Theodoro *Euſebius*: de Carpocrate *Tertullianus*: de Buda *Cyrillus*: de Montano rursùs *Euſebius*: de Maſſiliano *Theodoretus*: de Eutyche *idem*: de Berengario *Polydorus Virgilius*. Noſtro etiam tempore id de iis quos ex ſe procreavit, ipſemet Lutherus teſtatur: De Carolſtadio, inquam, *libro contra Carolſt.* De Oecolampadio, *libro de Miſſa angulari*: De Anabaptiſtis *libro contra ipſos*. Teſtantur idem de Davide Georgio *Baſilienſes* prædicantes, *in hiſtoria de ipſo*: de Andrea Oſiandra *Eraſmus Alber. libro cont. Carolſtadium*: de Joanne Knopæo *Archibaldus libro de confeſſ. Calv.* de Marco Euvikano *Lutherus in Sympoſ. cap.* 37. de Campano *Lindanus lib. de fugiendis idolis*: de Bucero *Lutherus in Colloquio, VVittemb. anno* 1527.

De Anabaptiſtis obſervat *P. Thyreus in lib. de Dæmoniac. part.* 2. quòd plerique illorum etiam vitæ impuriſſimæ, univerſam calleant Scripturam, & cum ad Catholicos redeunt, omnium anteactorum obliviſcantur; quod ſanè arguit ſpiritum nequam per illos priùs locutum.

HÆRESIS FUGATA. CONTEMPTA. CONVICTA.

* ERGA HÆRESIN ODIUM.

Agathonem Abbatem ferunt, dum variis criminibus & calumniis impeteretur, quòd omnia animo patienti tulerit. Verùm cum ad extremum & hæreſin objicerent, ille: Abſit à me, inquit, & ab anima mea hoc malum. Sciſcitanti autem, cur tantoperè hæreſim averſaretur, & cætera crimina tam æquè ferret? Reſpondit: Quia peccatorem me ſcio: hęreſim autem quæ à Deo ſeparat, non fero. *Ex vit. PP. de humil. & patient. p. 2. Refert L. Beyerl. in apoph. Chriſt. Tit. hæreſis.*

De Franciſco I. Gal. Rege, vide membrum ſequens.

Paulam Romanam inter alia encomia laudat *S. Hier. in vita ejuſd.* quòd elegerit inimicitias hominum perpetuas potiùs ſubire, quàm Dei offenſam amicitiis noxiis provocare. Unde nihil magis deteſtabatur, quàm commercia hæreticorum, & hęreſum, ac veteratorem, qui hanc ei callidè ſugillare contendebat, à ſe repulit.

Pius ille Joſaphat, Barlaam ſuum inſtituens: Illud cave, inquiebat, ne ullum hęreſis zizanium in te naſcatur. vèrum purum ac doli expers divinum ſemen conſerva. *D. Hier. in vita ejuſd.*

HÆRETICI FUGIENDI.

S. Joannes Apoſtolus prædicans in Aſia, mirabile opus feciſſe narratur ad veritatis delineationem: Cùm enim vitam degeret admirandam, & dignitatem veritatis ipſius decentem, & penitùs non lavaretur, coactus eſt à Spiritu S. progredi uſque ad balneum. Et cùm comites ipſum ſequentes mirarentur, venit ad ipſum balneum: & ubi perveniſſet ad eum qui lavantium veſtes ſuſcipere ſolet, interrogavit: Quis eſt intùs in balneo? At olearius ſervandis veſtibus inſerviens (in gymnaſiis enim hoc officium eſt aliquorum, quotidiani alimenti acquirendi gratia) ad Joannem dixit: Ebion intùs eſt. Joannes verò ſtatim intelligens Spiritus S. dictum, ob quam cauſam impuliſſet ipsũ uſque ad balneum venire, memorię videlicet gratia, ut relinqueret nobis veritatis argumentum, qui ſunt ſervi Chriſti, & Apoſtoli, ac filii ejuſdem veritatis; qui verò vaſa Diaboli & portæ inferni, non valentes contra petram, & ædificatam ſuper ipſam ſanctam Dei Eccleſiam; ſtatim ubi ſe turbaſſet, & leviter fleviſſet, ut omnes audirent in teſtimonium ac declarationem impollutæ veritatis doctrinę: Feſtinate, inquit, egrediamur hinc, ne cadat balneum, & pereamus cum Ebione, qui intùs eſt in balneo, propter ipſius impietatem. Et nemo miretur de eo quod audit, Joannem cum Ebione congreſſum eſſe: Multo enim tempore beatus Joannes in vita permanſit, & uſque ad Trajani regnum duravit. *Epiph. hæreſ. 30. Baron. ad an. 74.*

S. Ignatius martyr, S. Joannis Apoſtoli diſcipulus, plurimùm Epheſios laudat, quòd hęreticis quibuſdam peregrinantibus, ac tranſitum per urbem petentibus denegaſſent. *Epiſt.* 14.

Severus Epiſcopus hęreticus volens Alamandurum Aragenorum principem à Chriſtiana religione, quam pridem ſuſceperat, abducere, & in errorem circa Chriſti incarnationem pertrahere, duos Epiſcopos hęreticos miſit, qui confuſas duas naturas in Chriſto ſuaderent, ut ita ſecundùm utramque eum paſſum inferrent. Verùm Alamandurus ſubornato miniſtro qui ei in aurem quidquam diceret, illis videntibus, frontem contraxit, & ſummoperè ſe triſtari diſſimulavit: tum protinùs edixit, Proh! Archangelus Michael obiit; Quibus aſſerentibus hoc fieri nullo modo poſſe? Et vos, inquit, contenditis divinitatem in Chriſto paſſam & mortuam; eoſque hoc dicto à ſe dimiſit. *Zonaras, Cedrenus.*

Sub an. Dom. 167. qui eſt primus Aniceti Romanę Eccleſiæ Pontificis, Polycarpus ejuſdem D. Joannis Apoſtoli etiam diſcipulus, & ab eo Smyrnę Epiſcopus ordinatus, adhuc in vivis exiſtens Romam venit, ubi multos Marcionis & Valentini ſuaſione hæretica pravitate deceptos ad Eccleſiam Dei reduxit, dum unam ac ſolam eam veritatem, quam ab Apoſtolis acceperat, quam etiam Eccleſia tradidit, prędicavit. Marcioni verò in ejus conſpectum venienti, dicentique ac roganti, Noſce nos, amabo. Novi equidem, reſpondit Polycarpus, primogenitum ſatanæ. Tanta fuit Apoſtolis & eorum diſcipulis religio, illis vel verbum communicandi, qui veritatem corrumpebant, ſicut & Paulus dixit: Hęreticum hominem, &c. *Euſeb. Cæſar. lib. 4. hiſt. cap. 14. an. Chriſti 167. ex Irenæo l. 3. cont. hæreſ.*

Valens Imperio ſuſcepto, uxoris ſuæ oratione delinitus Arianus factus, veritatis inimicus, adminiſtrationis ſplendorem nihil reveritus, Euſebium Epiſcopum Samoſatenum in Thraciam exulatum miſit. Ad quem venit Imperatoris miniſter, exilii literas adferens, crepuſculo veſpertino. Tum ille & ſilere & diſſimulare cauſam adventus ſui eum jubet: nam ſi cognoverit multitudo à prima inſtitutione divino furore prædita, in flumen te, inquit, demergeret, & à me poſteà exigetur pœna mortis tuę. Cùm autem Ariana factio, ſpoliato grege optimo omnium paſtore, Eunomium quendam in locum ipſius ſubmiſiſſet, nemo omnium, qui urbem incolerent, non in paupertate degentes, non ſuperbi divitiis, non ſervus, opifex, agricola, hortolanus, denique neque vir, neque mulier, juvenis aut ſenex, in cœtum Eccleſiaſticum convenit. Itaque ille ſolus erat, cum nemo eum vel aſpiceret, vel alloqueretur: & ſic tradunt eum magna uſum fuiſſe moderatione; cujus rei argumentum dicam. Voluerat aliquando lavare, & ſervi occluſerant oſtium balnei, neque admittebant quenquam. Tum ille, multitudine foris aſtante viſa, pandi fores, & communi uti balneo audacter jubet. Idem & ingreſſam illam ante oculos ſuos cùm videret aſtantem, invitabat, ut calidis aquis ſecum frui vellet; ſed illi cum ſilentio aſtabant. Quod cùm veneratione ſui fieri crederet, ſurgens, ſtatim abiit: illi hęretica abominatione aquas etiam contactas rati, ipſas quidem in cloacas emiſere. Quo cognito præſul relicta urbe diſceſſit, infeſtam colere urbem ſtolidi & admodùm dementis eſſe exiſtimans. Eo deſerente, Samoſatæ ſubmiſerunt in locum ejus Lucium Lupum & inſidiatorem gregis. Ioſæ intereà oves quamvis paſtore ſpoliatę, officia tamen paſtoris exequebantur: nam Apoſtolicam doctrinam ſervabant incorruptam. De odio autem univerſorum erga illum, altera narratio facilè edocebit, quam infrà trademus. ☞ *Tit.* Pueri. *Baron. tom. 4. an. 370. ex Theodoreto hiſt. lib. 4. cap. 12.*

D. Athanaſius, ſanctiſſimus Eccleſiæ Cath. Doctor, & Dux invictiſſimus, graviſſima ab Arianis incommoda paſſus eſt, multiſque perſecutionum procellis & tempeſtatibus agitatus, quòd nunquam induci potuerit, ut cum illis ſocietatem iniret. Idemque ſcribit, Alexandrinos maluiſſe acerbiorem vitam inter pericula traducere, & à peccatis non abſolutos è vivis exire, quàm in obeundis ſacris myſteriis miniſterio Arianorum ſacerdotum uti. Quorum etiam nonnullos, cùm ea de cauſa verberibus cæderentur, hæc dixiſſe: Vos certè poteſtis nos pro veſtro arbitratu flagris cædere, at immortalis Deus judex erit. *Epiſt. ad Solit.*

Marcellus quoque Ancyræ Epiſcopus graviſſima quæque ab iiſdem Arianis perpeſſus eſt, quòd neque eorum decretis conſentiret, neque de Ario in Eccleſiam admittendo concederet, neque conſecrationi templi Hieroſolymis à Conſtantino ſumptuosè ædificati intereſſe vellet, ne hac occaſione cum eis communicaſſet videretur. *Sozom. hiſt. Eccl. lib. 2. c. 33.*

S. Euſebius Vercellenſis Antiſtes duriſſima quæque ab Imperatore Conſtantio hæretico pertulit, tandemque exilio mulctatus eſt. Is ſtatuit apud ſe fame potiùs perire, quàm ab Ariano Epiſcopo cibum accipere; qui hac occaſione cupiebat in vulgus ſpargere, ſanctiſſimum illum ac Catholicum Epiſcopum ejus fidei conſenſiſſe, ut hoc mendacio multos in fraudem erroremque impelleret. *Baron. tom. 3. an. 356.*

Hæretici hæreticos fugiunt.

Macedonius Pneumatomachianorum princeps, Spiritus S. hoſtis, quippè qui ejus divinitatem inficiabatur, in Catholicos execrabilia perpetravit, quòd de ejus manu ſacram communionem Corporis Domini ſuſcipere detrectarent, irritatus. Teſtatur enim Socrates, ſe à longæviſſimo Auxanonte audiviſſe, quòd dum hic Macedonius Epiſcopatum apprehendiſſet, innumera mala illis inflixit, qui ſibi conſentire nolebant. Et non ſolùm eos qui Eccleſiæ accenſebantur, exagitavit, ſed & Novatianos, ſciens & illos doctrinam homouſianam approbare. Exagitabantur itaque & illi intolerabilia paſſi. Et Epiſcopus quidem illorum nomine Agelius aufugit, multi verò religione inſignes comprehenſi contumelioſè tractabantur, eò quòd cum illo communicare nolebant: & poſtquam contumelioſè tractati eſſent, violenter eos viros ad miniſteriorum communionem cogebant: Ligno ſiquidem ora eorum aperiebant, & myſteria illis imponebant. Illi verò quum hoc paterentur, ſupplicium hoc aliis pœnis gravius eſſe putabant. Deinde mulieres ac parvulos ſimul raptos initiari compellebant. Si quiſquam detrectabat, vel aliàs contradicebat, mox plagæ, & poſt plagas vincula & carceres, & alia tormenta ſequebantur. Ubera mulierum communicare nolentium ciſtæ injecta abſciderunt; aliis mulierculis partes eaſdem corporis partim ferro, partim admotis ovis extremè ferventibus combuſſerunt. *Socrat. lib. 2. c. 38.*

EPISCOPI ET VIRI SANCTI.

Cum vir Dei Paphnutius, ex Ægypti partibus Epiſcopus, Maximum Hieroſolymitanum Epiſcopum ſimplicitate quadã animi ignarum quid ageret, inter hæreticos verſari & conſidere vidiſſet, ad eum acceſſit, & manu apprehenſum his verbis admonuit: Non patiar Epiſcopum adeò venerandum, in cathedra peſtilentiæ ſedere, & cum impuris hæreticis ne verbo quidem communicare. *Sozom. lib. 2. hiſt. Eccl. c. 25.*

Abbas Moyſes noluit ſibi imponi manus, dum Epiſcopalibus infulis Alexandriæ inſigniretur, à Lucio Epiſcopo Ariano. Dicebat enim: Abſit ut tua manus me conſecret. Tua namque conſecratione Spiritus S. in neminem deſcendit. Refert ex *Teodor. lib. 4. hiſt. cap. 21. Sozom. lib. 6. cap. 8. Laur. Beyerl. in Apoph. Chriſt.*

Alexander & Cajus dum unà cum Marcioniſtis ad ſupplicium ducerentur, unicum illud ſolicitè deprecabantur, ut ſeorſim ab illis necarentur. Ne, inquiebant, ſanguis noſter cum illis miſceatur, qui parùm rectè de Catholica fide opinantur. *Bapt. Fulgoſ. lib. 1. cap. 3. & refertur ibid. ſuprà.*

Alexander Epiſcopus Alexandrinus non ignorans, quòd nulla eſſet participatio templo Dei cum idolis, dicere ſolitus erat, omninò par videri, ut qui Chriſtiani ſunt, eos qui adversùm Chriſti doctrinam loquuntur, tanquam Dei hoſtes & animarum corruptores devitent. *Idem ibid. tit. Hæretici fugiendi, ex Sozom. lib. 1. c. 3. hiſt. Eccl.*

D. Antonio Eremita quoad fugam hæreticorum ita ſcribit Athanaſ. Manichæis, aut aliis hæreticis nunquam ſaltem amicabilia verba largitus eſt, denuntians, talium amicitiam atque ſermones perditionem eſſe animarum. Sic etiam deteſtabatur Arianos, ut omnibus diceret, ne quidem juxta eos eſſe accedendum. Et ipſe *Antonius* jam moriturus: Hæreticorum, inquit, & Schiſmaticorum venena vitate, meumque circa eos odium ſectamini, Scitis ipſi, quòd nullus mihi nec pacificus quidem ſermo cum eis unquam fuerit. *Athanaſ. in vita.*

Ladiſlaus Ungariæ ac Bohemiæ rex, cùm ei in Pragenſis urbis introitu Magiſter Rokiczanus Huſſitanus anteſignanus Archiepiſcopatum Pragenſem ambiens, cum ſuis officii gratia in conſpectum prodiret, Regemque ſalutaret, eum valdè frigidè reſalutavit. At occurrente poſteà ex arce Pragenſi ſacerdotum cœtu cum ſanctis reliquiis, ipſos ſacerdotes hilari ore affatus eſt, reliquias verò etiam veneratus & oſculatus. *Dubrav. lib. 29. Aeneas Sylv. in hiſt. Bohem. cap. 62.*

Propè Delphos paſtor Catholicus, ſacræ Theol. Licentiatus, vocatus ad quendam ægrotum, invenit iſthic congregatos complures hæreticos. Rogatur, ut ægrotum ſuo colloquio recreet & conſoletur. Ille ad decumbentem propiùs accedens monet, ut in fide ac religione parentum & majorum ſuorum perſeveret, ab ea non deflectat, ſed in ejus confeſſione moriatur, ſerióque proponat, ſi per Dei gratiam eouſque convaleſcat, Catholico ritu peccatorum ſuorum exomologeſim facere. Paulò pòſt infirmus nonnihil relevatus, & ad ſe reverſus, rogat, quinam ex omnibus circumſtantibus ille ſit, qui ad ſe ejuſmodi verba locutus eſſet: ſolam enim illius vocem & verba ſe intellexiſſe, cæterorum verò neminem, quid vellent, vel dicerent, capere potuiſſe. *Brendembach. collat. Sacr. lib. 7. c. 49.*

Chriſtianiſſimus Galliarum Rex Franciſcus I. quamvis fœdus cum Henrico VIII. Angliæ Rege iniviſſet, numquam tamen eidem contra Apoſtolicæ Sedis obedientiam patrocinari voluit. Dicebat enim Legatis ſuper ea re miſſis: Aliis in rebus animum fraternum exhibiturus ſum: At in his quę Religioni adverſantur, nulli me aſſociavero. Digna tali Rege vox, & à Polo qui aderat, laudata. *L. Beyerl. ſupra, ex N. Sandero lib. 2. de ſchiſm. Anglic.*

Idem dicere ſolebat: Si ſcirem brachium meum hęreſi infectum, abſcinderem & comburerem. Utinam ea mens omnibus illius ſucceſſoribus! *Idem ibid.*

Mortui Hæreticos fugiunt.

Quòd non ſolùm vivi, ſed mortui quoque Catholici hæreticorum conſortium fugiant, ſimili exemplo conſtat: Narravit nobis Ab. Baſilius presbyter Bicatiorum, dicens: Cùm eſſem Theopoli apud Patriarcham Antiochenum Gregorium, venit ab Hieroſolymis Abbas Coſmas Eunuchus Lauræ Pharan, vir ſingularis religionis & fidei, rectorumque dogmatum valdè tenax & zelator, ac divinarum ſcripturarum ſcientia non mediocriter inſtructus. Cùm ergo fuiſſet ibi ſenex dies non paucos, defunctus eſt. Et juſſit Patriarcha pretioſas illius reliquias in monaſterio ſuo ſepeliri, & ubi poſitus erat quidam Epiſcopus.

Die

A Die igitur quadam profectus ſum, ut ſalutarem ſepulchrum ſenis. Erat autem ſupra ſepulchrum ejus jacens homo quidam pauper eleemoſynam petens ab ingredientibus in templum. Cùm ergo me conſpexiſſet pauper tertiò proſtratum, & ſeni orationem facientem, dicit mihi: Abba, magnus profectò erat ſenex ille, quem ſepeliſtis hìc antè duos menſes. Tunc ego ad illum: Unde hoc tu noſti? Qui reſpondit: Verè, domine Abba, ego paralyticus fui annis duodecim, & per ipſum curavit me Deus; & quoties in tribulatione ſum, venit ad me conſolationem afferens, mihique refrigerium præſtat. Ex qua die illum ſepeliſtis, uſque ad horam hanc, audio illum ſingulis noctibus clamantem, ac dicentem ad Epiſcopum: Noli me tangere, hæretice, & ne appropinques mihi, inimice ſanctæ Dei Catholicæ Eccleſiæ. Hoc ego audiens ab eo qui ſanatus fuerat, perrexi, & omnia ex ordine Patriarchæ retuli; orabamque ipſum ſanctiſſimum Patriarcham, ut ſumptum ex eo loco corpus ſenis in ſepulchro alio conderemus. Tunc ait Abbas Patriarcha: Mihi crede, fili, nihil ab hæretico læditur Abbas Coſmas; ſed hoc tantùm factum eſt, ut ſenis virtus, zeluſque fidei nobis innoteſceret, qualis ſemper fuerit, qualiſve etiam B fit poſt carnis occubitum; utque Epiſcopi nobis proderetur opinio, ne illum arbitraremur Orthodoxum fuiſſe atque Catholicum. *Io. Moſchus in Prat. Spirit. c.40.*

PUERI.

Narrat *Theodoretus*, pueros quoſdam fide Chriſtiana imbutos, in tantum abhorruiſſe Hæreticos, ut cum fortè pila quam excutiebant Alexandriæ in foro, pedem aſini, cui inſidebat Lucius Hæreticus Arianus, contigiſſet, eam contrectare manibus noluerint, niſi primùm ignis tranſitu expiaretur. Clamabant enim: Quia polluta eſt, & non niſi per ignem expianda. *Lib.4. hiſt. Trip. cap.14. Refert L. Beyerlinch. in Apophthegm. Chriſt. tit. Hæretici.*

LIBRI HÆRETICORUM FUGIENDI, COMBURENDI.

☞ *Vide Locum de Libris, Titulo de Libris Hæreticorum.*

* POENÆ IN HÆRETICOS.

Quomodo Puniendi.

C Anno ſalutis humanæ cccxxiv. Nicæna ſynodus, *teſte Platina in Silveſtri Rom. Pont. vita*, aliam pœnam Ario conſtituit, qui cum ſua cohorte in exilium ire coactus eſt: poſthæc circiter annum Salutis 388. Theodoſius & Valentinianus Impp. multandos decreverunt hæreticos damnis, ignominiis, verberibus, exiliis & morte, quemadmodum extat *in Cod. juris civilis, cap. Ariani*, ubi lege ſancitum eſt, ut iſtud maleficum hominum genus ultimo afficeretur ſupplicio. Hoc edictum, *Hoſtienſis in ſua Sum. ſup. tit. Decret.* explicans, ait: Et licèt in hæreſi lex imponat pœnam ultimi ſupplicii, quod ultimum ſupplicium alia lex, *ff. de pœnis*, interpretatur mortem: de conſuetudine tamen tales cremantur. Idem Abbas poſt Hoſtienſem ſuper illud cap. Ad abolendam, extrà, de hæretic. ſentit, ſcribens: Sed jus civile punit hæreticum capitali pœna, ſeu pœna mortis, ut *l. Ariani, Cod. de hæret.* conjuncta, *l. ult. ſuppl. ff. de pœnis*; & hanc pœnam eſſe debitam, interpretatur conſuetudo. Convenit ergo in hoc lex Canonica, Civilis & Conſuetudinaria, ut communiter puniantur pœna ignis. Poſtremò anno Salutis circiter 118. Fridericus I. Rom. Imperator legem de comburendis hæreticis tulit, velut in quadam D ejus conſtitutione patet, cujus initium eſt, Ut commiſſi. Per idem tempus Lucius III. Rom. Pontifex ſtatuit, hæreticum hominem ſacris initiatum primò deſecrandum, mox verò tradendum locorum magiſtratibus, quò igni exuratur. *Polyd. l.8. c.4. de rer. invent.*

Hæreticos puniendi duos modos tradit *S. Th. Aquinas l.2. q.11. art.2. & 3.* unum per Excommunicationem, quod eſt extremum ſupplicium ſpirituale: Alterum per occiſionem corporalem. Addi poteſt tertius, qui eſt Degradatio, ſive privatio famæ, honoris, & bonorum temporalium.

ERRORES CIRCA ARGUMENTUM.

Hæreticos etiam in hæreſi obſtinatos, morte plectendos negaverunt olim Donatiſtæ, Parmenianus, Petilianus, Gaudentius. Cujus teſtem habemus *S. Auguſt. l.2. cont. lit. Petil. cap.10. lib.2. cont. ep. Gaudent. cap.17.* Negavit Joannes Hus in Conc. Conſtantien. Et tribuunt Magdeburgenſes errorem hùnc cuidam Raimundo Lullo, *Cent. 13. cap. 5.* Sed contrarium, Dei mandato & Imperatorum decretis conforme eſt, & exemplis illuſtratur.

EXEMPLA SACRA. E

Moyſes triginta millia hominum, qui ab unius Dei fide receſſerant per vituli adorationem, uno die occidit. *Exod. 32.*

Elias Dei propheta omnes prophetas Baal etiam interfecit. *3. Reg.18.*

Nabuchodonoſor Rex Babylonis miraculo ſalutis trium puerorum commotus atque mutatus, pro veritate contra errorem edictum propoſuit, ut quicumque blaſphemarent Deum Sidrac, Miſac, & Abdenago, in interitum irent, & domus eorum in diſperſionem; & non vultis, ut tale aliquid contra vos jubeant Imperatores Chriſtiani? *Daniel. 6. Auguſt. epiſt.146. ad Donatiſt.*

Mathathias Judæum quendam idolis ſacrificantem morte mulctavit. *1. Machab. 2.*

D. Paulus Magum quendam, qui Proconſulem à fide impedire conabatur, cæcitate percuſſit. *Actor.13.*

EXEMPLA HISTORICA.

Exilii. F

Poſtquam Concilium Nicænum tum Arium, tum ſuæ opinionis fautores pariter abdicaſſet, decrevit, ne Alexandriam rediret; quin etiam & verba, quibus ejus explicabatur opinio, & librum, quem de ea ediderat, inſcripſeratque Thaliam, legi vetuit. At verò Conſtantinus Imperator non Arium ſolùm, ac ipſi inhærentes exilio mulctavit, & ſi quod ſyngramma illorum inveniretur, igni tradi juſſit, ne vel ipſius, vel dogmatis quod introduxerat, monumentum aliquod ſupereſſet. Quòd ſi quis tale quid abſcondiſſe deprehenderetur, & non confeſtim productum combureret, mortem ac capitis ſupplicium mulctę loco ſtatuit. Quin etiam epiſtolas ad civitates ſingulatim ſcriptas miſit, quibus Arium, ejuſque fautores damnabat. *Sozom. lib.1. hiſt. cap.11. an.325.*

Temporibus *Martini Papæ II. & Conſtantii Imp.* anno videlicet Chriſti Domini 650. quidam Hæreticus pulſus à partibus tranſmarinis in Gallias venit, moxque ſe conferens ad civitatem, quæ olim Hedua, nunc Auguſtodunum vocatur, cœpit tam cautè, quàm fraudulenter, ſua nefanda dogmata prodere. Quod cùm in palatio ad aures Eligii Novicomenſis Epiſcopi perveniſſet, cœpit vigilanter (uti ſemper in ejuſmodi G rebus ſolicitus erat) cum Audoeno & cæteris Catholicis viris tractare, quemadmodum hanc peſtem palam omnibus manifeſtam denegarent: nec deſtitit Epiſcopos commonere & Optimates, quouſque juſſu Principis Sacerdotale Concilium apud urbem Aurelianenſem congregaretur. Ubi eo, quem diximus, hæretico in medium deducto, conabantur eum docti quique diverſis modis interpellare, ſed nullo poterant genere concludere: tanta quippè dicendi arte objectis quæſtionibas occurrebat, ut ubi maximè putaretur conſtrictus teneri, ibi ceu anguis lubricus quibuſdam foraminibus dilapſus, eorum ſe fronti opponeret. Cumque nullo modo à quoquam poſſet concludi aut ſeparari, extitit quidam è noſtris pia Dei providentia doctiſſimus Epiſcopus, nomine Salvius, qui ita ei in omnibus obviavit, ut ingens ea cauſa noſtris fieret gaudium & expectatio: omnes enim ejus verſutias & artes, quas ille nunc occulere, nunc etiam diſſimulare conabatur, frequenti diſputatione palàm funditùs detexit, ſicque adversùs eum omnium Epiſcoporum ſententia prolata, & per ſingulas civitates ſuper ejus nomine decretis conſtitutis, cùm ea qua par erat ignominia & dedecore, è finibus Galliæ exul damnatus eſt. H *Baron. tom.8. an.650.*

D. Ioannes Chryſoſt. Epiſcopus Conſtantinopolitanus, hac ratione hæreticos Arianos ex urbe Arcadii Imp. mandato pelli curavit: Opportunum enim ipſe tempus nactus, quando Imperator venit ad ſacrum, feſto eum ad id vocante (erat enim dies Epiphaniorum) tùm ſic ipſum compellavit: Dic mihi, ò Imperator, ſi quis huic pulchræ & pretioſæ (oſtendens coronam quam habebat in capite) quoſdam abjectos & obſcuros lapides inſeruiſſet, videretur hoc tibi eſſe tolerandum, & non tanquam univerſa per illos afficerentur contumelia, ægrè tuliſſes? Cùm is autem veritati ſermonis annuiſſet: Quid verò, inquit, non exiſtimas univerſorum Regem iraſci, ſi in pia civitate, quæ omninò rectè ſe habet, pars quæ malè ſentit, ſinatur habitare? cùm oporteat vel ab illis exigere, ut convertantur, vel ſi perſeverent, protinùs expellere? Hęc cùm audiſſet Imperator, non diſtulit, nec eſt cunctatus, ſed primos eorum ſtatim accerſiit; & ex iis ſcire voluit, num in animum inducerent à fugienda deſiſtere opinione, minatus exilium & bonorum ſuorum privationem iis, qui non parerent. Cùm autem

A vidiſſet eos eſſe immedicabiles, minas deduxit ad effectum, & juſſit, eos expelli è civitate. Hoc effecit, ut nonnulli errorem dediſcentes ſe rectæ adjungerent opinioni. Addit autem ad hæc Marcus Diaconus, Arcadium Imperatorem, cùm intellexiſſet complures ſuorum, vel in aula militantium, vel magiſtratibus fungentium, eſſe hæreticos, ſed extrinſecùs ſpeciem præ ſe tuliſſe Catholicorum, eoſdem è magiſtratibus pulſos, pecuniaque mulctatos penitùs rejeciſſe. *Metaphraſt. in vita ejus, anno 420. tom.3. Operum.*

Arius in urbe Alexandrina neceſſitudine contubernii & ficta pietatis ſimulatione ſeptingentas virgines voto caſtitatis Deo obſtrictas circumvenit, & hæreticæ impietatis veneno infecit; quæ, ne puellas alias ſocietate ſua contaminarent, cum Ario, ut teſtis eſt *Epiphanius*, è civitate ſunt ejectæ. *Epiphan. hæreſi 69.*

IGNIS.

Anno Dom. 1017. cùm à pluribus omni ſagacitate elaboratum fuiſſet, qualiter duo hæretici Manichæi, depoſita mentis perfidia, veram & univerſalem reciperent fidem, B atque illi omnimodis ſe facere denegarent; dictum eſt eis, quoniam, niſi celeriter ad ſanam fidei mentem redeant, Roberti Regis Francorum juſſu, & univerſæ plebis conſenſu, igne eſſent protinùs cremandi. At illi malè in ſua confiſi veſania, nihil pertimeſcere ſe jactantes, ſeque evaſuros ab igne illæſos promittentes, quin potiùs meliora ſibi ſuadentibus ſpernendo illudebant. Cernens quoque Rex & univerſi, qui aderant, minùs poſſe illos revocari ab inſania, juſſit accendi non longè à civitate ignem permaximum, ut vel eo fortè territi, à ſua malignitate deſinerent. Ad quem cùm ducerentur, rabida adacti dementia, ſe omnimodis hoc velle proclamabant, ac ſeſe ultrò ad ignem trahentibus inferebant. Quibus ad ultimum numero tredecim igni traditis, cùm jam cœpiſſent acriùs aduri, cœperunt voce qua poterant ex eodem igne clamare, ſe peſſimè deceptos arte diabolica, nuper de univerſorum Deo ac Domino malè ſenſiſſe, & ob hanc ab eiſdem illatam ei blaſphemiam, illos temporali atque æterna ultione torqueri. His verò plures è circumſtantibus auditis, humanitatis pietate permoti accedentes, ut vel ſemivivos ab igne eriperent, minimè valuerunt, quoniam vindice flamma conC ſumente illos, continuò in pulverem fuerunt redacti. Si qui verò poſtmodùm hujus perverſitatis ſectatores fuerunt reperti, ſimili ultionis vindicta ubique fuerant perditi. Propterea venerabilis Catholicæ fidei cultus, extirpata inſanientium peſſimorum veſania, ubique terrarum clarior emicuit. *Glaber. lib.3. c.8. apud Baron. tom.11. an.1017. n.4.*

EXCIDII, ET SUPPLICIORUM VARIORUM.

Fredericus Imper. (cujus conſtitutionem à Lombardis, & aliis obſervari mandavit Innoc. IV.) ſtatuit, ut hæretici, qui metu mortis fuerint converſi, in perpetuum carcerem recludantur. Item per Eccleſiaſticum Judicem condemnati, morte plectantur.

Theodoricus Afer Diaconum ſuum, qui primùm fidem Orthodoxam profeſſus erat, ſed poſtea ſperans ſe gratificaturum Theodorico Regi, conſenſerat Arianis, capitali ſupplicio affecit, inquiens: Si Deo fidem non ſervaſti, quomodo homini ſinceram conſcientiam ſervabis? *Theodor. Collect. l.2.* D *Suidas, & Cedren.*

Gnoſtici hæretici in Conventum Burdegalenſem à Maximo tyranno, ad quem provocaverant, deducti, Martini Turonenſis Epiſcopi conſilio, Eccleſiis ut pellerentur tantùm, ſuaſum fuit. Sed poſteà Maximus à mitioribus conſiliis revocatus, Priſcillianum, duobus judiciis auditum, convictumque maleficii, ſocioſque ejus, capitis damnari oportere pronunciavit. *Sigon. lib.9. Imp. Occid.*

Cùm Martianus Epiſcopus Arelatenſis in Gallia Novatiano hæretico ſe adjunxiſſet, & ſic ab unitate Eccleſiæ & ſacerdotum conſenſione ſe ſejunxiſſet, Cyprianus, quamvis longè remotus, id egit literis ad coepiſcopos ſuos in Galliis conſtitutos, & populum Arelatenſem, ut eo abſtracto, alius ſubſtitueretur. *Lib.3. Epiſt.13.* Et *in eadem epiſt. col. 2.* ait *Cyprian.* Idcircò enim, frater chariſſime, copioſum corpus eſt ſacerdotum, concordiæ mutuæ glutine, atque unitatis vinculo copulatum, ut ſi quis ex collegio noſtro hæreſim facere, & gregem Chriſti lacerare & vaſtare tentaverit, ſubveniant cæteri, & quaſi paſtores utiles & miſericordes, oves Dominicas in gregem colligant.

Zeno Imper. ſcholam Edeſſenam, quam Perſicam vocabant, quia Neſtorii hæreſim doceret, funditùs evertit. E *Theod. Lector lib.2.*

Letojus Melitinenſis Epiſcopus, Baſilio Magno familiaris & Orthodoxus, hoc ſolo nomine celebris, quòd cùm Valentis temporibus Meſſalinorum hæreſim in monaſteria quoque irrepſiſſe videret, monaſteria ipſa excuſſerit. *Theod. lib.4. c.11.*

Anthropomorphitarum hæreſis in Lombardiæ urbe Paraſſo plurimùm invaluerat, ſic ut etiam vicinos armis premerent. Racherius Veronenſis Epiſcopus ſcriptis eorum errorem confutavit. At Stephan. IIX. Pp. & Mediolanenſis Epiſcopus armata manu urbem, omnibus interemptis, everterunt, & vaſtitatem ejus in æternum extare voluerunt: Agrum inter ſe vicini ſunt partiti Epiſcopi. *Sig. an.939. Bergom.951.*

Joannes Boemorum Rex nocturnis pervigilationibus, ritu Dulcianorum fraterculorum, Pragæ occultè fieri incipientibus, in ipſo ſtatim introitu obſtitit, exuſtis quatuordecim viris mulieribuſque. *Dubr. lib.20.*

Carolus IV. Imp. commotus reditu Dulcianorum hæreticorum & Flagellatorum in Boemiam, partem eorum igne combuſſit, cæteros de ſententia Erneſti Archiepiſcopi Pragenſis F perpetuo exilio relegavit. *Dubr. lib.22.*

☞ *Vide Leges contra hæreſes, & varias pœnas hæreticis inflictas ab Imperatoribus. Loco de Religione, Conſultatione tertia, quæ eſt Religionis Libertate, ſub finem.*

POENA POST MORTEM.

Narrat F. Helias venerabilis vir, quòd cum quidam hæretici in Burgundiæ partibus ſui erroris ſemina ſpargerent virulenta, & ſanctæ prædicationis fratres Prædicatores, & fratres Minores contra eoſdem hæreticos viriliter decertarent gladio ancipiti verbi Dei, eorum prava dogmata infatigabiliter concidentes; tandem à judice regionis capti ſunt & ut digni erant, flammarum ignibus traditi, ut maligni auctores cum ſuo ſcelere, ad terrorem cæterorum hominum, finirentur. Cumque ſuppoſitis lignorum copiis vehementer æſtuarent incendia, ſubitò miræ magnitudinis buſo, qui alio nomine vocatur crapaldus, adfuit, & nullo cogente, ſe ultrò mediis flammis contulit. Corruerat in ignem unus hæreticorum, qui eorum Epiſcopus dicebatur, reſupinus, & G dictus buſo ſuper faciem ejus ſedit, & videntibus cunctis qui aderant, linguam ejus comedit. Sequenti autem die totum ejuſdem hæretici corpus, oſſibus exceptis, verſum eſt in fœtidos bufones, ita ut non poſſent præ multitudine nimia numerari. Videntes itaque indigenæ miraculum, glorificabant Deum, & laudabant eum in Prædicatoribus ſuis, qui de horrore tam immundæ pollutionis eos dignatus eſt miſericorditer liberare. Rectè omnipotens Deus per immundiſſima & turpiſſima animalia, quàm turpiſſima & immundiſſima hæreticorum ſint dogmata, voluit demonſtrare, ut omnes homines hæreticum tanquam crapaldum toxicum ſtudeant evitare: Sicut enim inter omnia quadrupedia buſo turpior judicatur, ita hæretica pravitas omnibus aliis ſectis deterior & ſordidior. Juſtificavit hæretica cæcitas Judaicam perfidiam, mundificavit pollutione ſua inſaniam Mahometi, & luxuria ſua abluit Sodomam & Gomorram. Quidquid enim peſſimum eſt in enormitate ſcelerum, ſanctiſſimum eſt habito reſpectu ad turpitudinem & ignominiam hæreticæ pravitatis. Proinde Chriſtianus tam indicibile malum effugiat, quod cunctorum ſcelerum crimen tranH ſcendit. *Narrat D. Auroultius in ſuo Catechiſ. part. 2. in 1. præc. Decal.*

LINGUA EXCISA.

Antiochiæ Severus hæreticus, Flaviani ſucceſſor, qui thronum per tyrannidem occupabat, plurimùm in Chalcedonenſem ſynodum invehebatur. Is cum ita animatus eſſet, quotidiè (ut ita dicam) anathemati ſynodum eam ſubjecit; potiſſimùm verò in eis, quæ Enthroniſticæ ſive Synodales dicuntur, epiſtolis, quas ad loci cujuslibet Patriarchas mittebat. Unde per eos, qui eas recipiebant, nugamenta multa adversùs Eccleſiam ſunt inducta, & populus in innumerabiles opiniones diviſus. Sed enim Juſtinus, Imp. fideliſſimus, primo Imperii ſui anno Severum commeritas petulantis verborum lubricitatis pœnas pendere, linguamque ejus radicitus exſcindere juſſit. Huic rei, ſicuti de eo fama percrebuit, Irenæus præfuit militarium ordinum Antiochiæ Dux. Quod ſanè verum eſſe, literis ſuis Severus ipſe confirmat, Irenæum videlicet pœnam ſibi eam tumultus concitati gratia molitum